Digitized by Google

43
7 B
1

Digitized by Google

Digitized by Google

VITT. EMANUELE
43
B

Digitized by Google

PARAPHRASIS GENESIS

IN QUATUOR LIBROS DISTRIBUTA

DEIPARÆ VIRGINI MARIÆ

Juventutis Patronæ dicata

AUCTORE STEPHANO ZUCCHINO
STEPHANI LUCINIANENSI

AD USUM AUDITORUM SUORUM

VITERBII MDCCLXIII.

Ex Typographia Joſeph Poggiarelli
Superiorum Permiſſu

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO

Neminem inveniri arbitror, quem prætereat, illis, qui pueros litteris erudiendos ſuſcipiunt, omni ſtudio, diligentia, cura providendum eſſe, ut qui ipſis docendi traduntur non modo liberalium artium, & facultatum, quas profitentur, præceptis, inſtitutiſq., ſed etiam moralis diſciplinæ cognitione imbuantur. Ac mihi quidem in rem ipſam diligentius inquirenti tanto major habenda morum doctrinæ, quam alterius cujuſcumq. ratio videtur, quanto major eſt ſcientiæ illius, quam aliarum & utilitas, & neceſſitas. Nam, ut omittam maxima commoda, quæ ab ea in hac vita percipiuntur, qui in eorum, quæ ad hominis in Deum officia, ad Religionem, ad pietatem, atq. ad vitam recte informandam pertinent ignoratione verſantur, is, nec aſſequi ipſe ſempiternam illam beatitatem, ad quam ſingulari Dei O. M. beneficio creati ſumus, nec ad eam aliis parare viam ullo modo poteſt. Itaque ego cum primum arduam illam provinciam ſuſcepi, eam mihi docendi rationem ineundam putavi, ut illos initio pueris libros evolvendos proponerem, ex quorum lectione præter litterarum rudimenta, Sacram Veteris, & Novi Teſtamenti hiſtoriam addiſcerent, ſaluberrima ad mores ex Chriſti inſtitutione, exempliſq. componendos præcepta haurirent, ac ſtudio, & cupiditate vitæ Coeleſtis inflammarentur: Cum vero ex Poetis neminem, qualem optabam invenire potuiſſem, ac pueris, quo tempore ipſis Poeticæ artis præcepta traduntur, Poema aliquod explicandum neceſſario eſſe intelligerem, Divinum Geneſis Librum, in quo, & Mundi creatio, quæ nos ad Dei Sapientiam,

Bonitatem, Potentiamq. plane cognoſcendam adducit, & præclara veterum Patriarcharum, qui ſingularia nobis in omni virtutum genere exempla reliquerunt, geſta; & graviſſima ſupplicia, quibus in perditos, nefarioſq. homines Deus animadvertit, deſcribuntur, Latino carmine reddidi. Totum autem opus in quatuor Libros partiri placuit, quorum primus Sacram Hiſtoriam a Mundi creatione uſque ad Abelis necem compleċteretur, alter a Dei in Cainum minis ordiretur, atq. in Jacobi in Meſopotamiam ad Labanum iter deſineret; tertius ab Eſau cum Mehelelh Iſmaelis Filia conjugio exordium duceret, eaq. exequeretur, quæ uſque ad Jacobi Filiorum in Ægyptum profeċtionem contigere: quartus denique illa, quæ novem extremis capitibus Moyſes narrat, exponeret. Ac quo utilior adoleſcentibus noſter hic, qualiſcumque labor eſſet, non tantum ſingula, quæ in eo Libro poſterorum memoriæ commendavit Moyſes, quam potui diligentiſſime expreſſi, ſed etiam hyſtoriæ plurima, quæ ad illam illuſtrandam, ornandamq. pertinerent, opportune inſerui. Jam vero cum Paraphraſim hanc pueris, niſi edidiſſem, ſine maximo ipſorum incommodo explicare minime poſſem, illam edere conſtitui. Quamquam me, ut id facerem non illorum dumtaxat, qui me Præceptore (quæ ſingularis eorum in me Parentum humanitas eſt) utuntur, aut in poſterum utentur commodum, aliorum quoq. utilitas induxit: non quod ego fore ſperem, ut qui ſcholis præſunt Paraphraſim iſtam pueris explicent, (hoc enim temeritatis, & arrogantiæ eſſet) ſed quod præſtantes in Poetica arte Viros ad Sacram Veteris, Noviq. Teſtamenti hiſtoriam Latinis carminibus deſcribendam, ut ingenuorum Adoleſcentium utilitati ſerviant, exemplo meo excitandos eſſe confidam.

Et ſane, ut libere dicam quod ſentio, multo profeċto reċtius pueri inſtituerentur, ſi a teneris in Divina Hiſtoria, in Moralibus Sacræ Scripturæ Libris,

ne præſertim in Euangelijs , & in piis Poematibus potius quam in Ethnicorum fabulis , prophaniſq. carminibus legendis , explicandiſq. exercerentur , ut cum Latinæ linguæ ; & Poeticæ facultatis rudimentis pietatem animo imbiberent , nec antea ad prophanos Scriptores deducerentur , quam ea , quorum cognitio Chriſtiani hominis eſt maxime propria , didiciſſent . Eſt enim turpe Adoleſcentes noſtros non ſolum Jovis , Saturni , Bacchi , Mercurii , Herculis , aliorumq. , quos Ethnici in Deorum , Heroumq. numero habuerunt , nomina ; ſed etiam impia , nefariaq. facinora memoria tenere ; res vero a Noacho , Abrahamo , Iſaco , Jacobo , alijſq. Veteribus Patriarchis præclare geſtas ignorare , ac ne ipſa quidem eorum nomina audiviſſe : nec ferendum eſt , ut Chriſtiani homines , quæ ad inſtitutionem noſtram Divinitus afflati Scriptores litteris mandarunt , aut nunquam legant , aut certe ſerius , quam decere videatur . Neq. vero hæc mea ſolum , ſed plurimorum etiam cum doctrina , tum pietate præſtantium Virorum , & eſt , & fuit ſententia . Atq. , ut alios prætereeam , præclariſſimum illud Eccleſiæ lumen , atq. ornamentum Auguſtinus ſeſe primam ætatem in Ethnicorum fabulis addiſcendis contriviſſe libro Confeſſionum I. cap. XVII. *vehementer dolet . Sic enim habet* : Sine me , Deus meus , dicere aliquid , & de ingenio meo , munere tuo , in quibus a me deliramentis atterebatur . Proponebatur enim mihi negotium animæ meæ ſatis inquietum præmio laudis , & dedecoris , vel plagarum metu , ut dicerem verba Junonis iraſcentis , & dolentis , quod non poſſet Italia Teucrorum avertere Regem , quæ nunquam Junonem dixiſse audieram , ſed figmentorum poeticorum veſtigia errantes ſequi cogebamur , & tale aliquid dicere ſolutis verbis quale Poeta dixiſſet verſibus . . . . . . Ut quid mihi illud , o vera vita mea , Deus meus , quod mihi recitanti adclamabatur præ multis coætaneis , & conlectoribus meis ? Nonne ecce illa omnia fumus , &

 ven-

ventùs ? Itane aliud non erat, ubi exerceretur ingenium, & lingua mea ? Laudes tuæ, Domine, laudes tuæ per Scripturas tuas ſuſpenderent palmitem cordis mei, & non raperetur per inania nugarum turpis præda volatilibus. Non enim uno modo ſacrificatur tranſgreſſoribus Angelis. *At vero, ſi, quæ a nobis pueros inſtituendi ratio proponitur, ea, quam in Scholis receptam videmus, utilior futura adoleſcentibus non eſſet, nunquam profecto Sanctiſſimus ille, Sapientiſſimuſq. Eccleſiæ Doctor ſe ita inſtitutum non fuiſſe quereretur. Quis autem erit, qui illam Doctrinæ pueris tradendæ formam, quam ab Auguſtino maxime adprobatam eſſe intellexerit, in omnes Chriſtianorum ſcholas inducendam non putet ? Equidem Auguſtino tantum tribuo, ut in multorum reprehenſionem incurrere malim, quam illam abjicere.*

Nec vero me ab ea docendi conſuetudine illorum, qui pueros, ſi ita inſtituantur, nullos in Latina lingua, nullos in eloquentia, nullos in Poetica facultate progreſſus facturos pro uſu clamant, evocabit oratio, præſertim cum nihil adferant, quo ea, quæ temere jactant, confirment. Nam, quod ajunt, & Latinam linguam ab ipſis fontibus hauriendam eſſe, & ornate, graviterq. dicendi, ſcribendiq. præcepta; atq. exempla a prophanis Auctoribus petenda, non eſt ad rem. Neque enim nos adoleſcentibus omnem prophanorum librorum lectionem interdicimus; at ſerius dumtaxat permittimus, ſive ut verius dicam, ea ætate, qua tantum aliquem ex ea percipere fructum poſſunt. Nam cum primum ad Scholas noſtras accedunt, nec quid Latinæ voces ſignificent, nec in quo ſita Latini ſermonis elegantia ſit, intelligunt. Hinc videmus illos etiam, qui pueri cum eſſent, Auctorum qui Auguſtæo ſæculo floruerunt, opera contrivere, niſi confirmata ætate totos ſe ſe eorum lectioni dederint, perinde loqui & ſcribere, ac ſi nulla ipſis cum probatiſſimis Latinæ linguæ Scriptoribus conſuetudo fuiſſet.

Nem-

Nempe qui optimorum Auctorum, quos ſibi ad imitandum proponit, dicendi genus non meditatur, ac in ſe altiſſime non defigit (quod a pueris non eſt ſperandum) etſi illorum opera continenter legat, nunquam illis ſimilis evadet.

Sed de his alias fortaſſe uberius. Nunc ut ad Libellum iſtum, cujus cauſa tam longa a me inſtituta fuit oratio, redeam, illud ab omnibus, qui ad ipſum legendum accedent, etiam atq. etiam peto, ut primum in hac Paraphraſi elaboranda majorem a me rerum, quam verborum rationem habendam fuiſſe, meminerint; deinde opus hoc pueris me & ſcripſiſſe, & edidiſſe cogitent, ac denique in mentem præclara Melchioris Cani viri non gravioribus modo diſciplinis, ſed humanioribus etiam litteris mirifice exculti, de elegantioribus, atq. ornatioribus Sacrorum Librorum paraphraſibus non edendis, verba, revocent. Sunt autem iſta: Ne illos quidem probare unquam potui, qui Paraphraſes quantlibet latinas, & elegantes in Sacras Litteras ediderunt. Cum enim perſonam Chriſti, Pauli-ve loquentis aſſumunt, quo elegantius, nitidiuſq. eloquuntur, eo minus illorum ſpiritum, & majeſtatem ſervant, atq. adeo rei quodammodo fiunt læſi ſpiritus, & majeſtatis. Certe quod olim puer magno aſſenſu virorum ſapientium dixi: Si aut Chriſtus, aut Paulus iſtorum mihi lingua loquerentur, nec Chriſtus mihi, nec Paulus eſſent. Non eſt nitidulus Chriſtus, mihi crede, non eſt comptulus, non elaborate ornatus: Paulus vero non ſcientia ille quidem, ſed ſermone imperitus eſt tamen. Permitte Chriſto igitur linguam ſuam, linguam ſuam permitte Paulo: utraq. enim calamus eſt ſcribæ velociter ſcribentis, non ad ſingula verba, & apices elaborantis. *Hæc ille libro de locis Theologicis* 11. cap. xv. *quæ ſi Lectoribus noſtris, quemadmodum ſpero probabuntur, Librum hunc æquo animo excipient, nec eſſe me, quod multa minus eleganter, ornateque ſcripſerim, reprehendendum putabunt.*

I M-

IMPRIMATUR

Si videbitur Adm. R. P. V. Rmi. Pat. Mag. Sac. Palat. Apoſt. C. F. Paitelli Vic. General.

Approbatio.

JUſſu A. R. P. Vicarii Reverendiſſimi P. F. Thomæ Auguſtini Ricchinii S. P. A. Magiſtri legi latinum Poema, cui titulus *Paraphraſis Geneſis in quatuor libros diſtributa* a Stephano Zucchino Stephani Viro præclaris Opuſculis editis, & de morum doctrina, & de Litteris optime merito, elucubratum: in quo non modo nihil eſt, quod cum ſanctiſſimis Religionis noſtræ decretis, inſtitutiſque pugnet, vel rectæ vitæ inſtituendæ rationi, boniſque moribus adverſetur, ſed quæ in ſacro Geneſis libro a Moyſe narrantur incredibili fide redduntur, & legentium animi cum ſanctiſſimis exemplis propoſitis, tum ſaluberrimis monitis ad pietatem inflammantur. Itaque digniſſimum illud judico, quod omnium, ac maxime Juvenum, qui Poeticæ artis præceptis imbuendi ſunt, commodo edatur. Dabam in Cœnobio Gradenſi Kalendis Januariis Anno MDCCLXIII.

Fr. Thomas M. Soldatus Ord. Præd. in Cœnobio Gradenſi Philoſophiæ Lector.

IMPRIMATUR

Fr. Th. Auguſtinus Gilardinius Rmi M. S. P. Apoſt. Pro-Vicarius.

PARS

PARAPHRASIS

GENESIS

LIBER PRIMUS.

JAM ſatis ingenuas puerorum illudere mentes,
Et priſcis vitiare dolis, cum ſæcula quondam
Mendaci ſubjecta jugo memorentur, & Aulæ
Edoceant reſonare Jovem ſuper aſtra tonantem,
Junonem, Veneremq. ſimul cum Pallade in armis;
Mercurium Auctorem fraudum, Martemq. minacem,
Cumq. aliis, alios quos irridere ſolemus,
Jam ſatis audire, ac animos his paſcere nugis.
Quid Lux cum tenebris? Quænam conventio Chriſti
Ad Belial? Quid Chriſticolis, quos imbuit imas
Demiſſa in terras ſummo ſapientia Cœlo,
Cum genere infando, quod inania numina votis
Poſcit, & humanis inceſtat cædibus aras?
Ergo hinc ite procul veterum deliria Vatum
Carmina Sacra Diis, finxit quos cæca voluptas,
Quæ Divum in numero, Cœliq. in ſede locavit,
Nigrans quos Orcus, luctuſq. æternus habebat.
At mihi vos pueri linguis, animiſq. favete;
Non ego nunc Paridis flammas, non furta Lacenæ,

Non everſa canam Trojanæ mœnia gentis;
Aut Anchiſiadis per inhoſpita littora curſus;
Illatoſve Deos Latio, nec mentis ut olim
Acer Nobilium, quæ multa inſana gemebam;
Facta ſequar: patrio tandem ſermone ſolutus.
Altius a terris iter eſt, ſuper aſtra feretur,
Ignotaſq. alijs, intentataſq. viarum (*a*)

Ad

(*a*) Cum opus hoc a nemine ſuſceptum dico, non de omnibus Poetis, ſed de illis dumtaxat, qui poſt reſtituta in Europa humanarum litterarum ſtudia Latina carmina vulgarunt, loquor. Etenim nemo ex his fuit, qui Geneſis hiſtoriam Latino carmine expreſſerit. Ceterum ex Chriſtianis Poetis vetuſtioribus fuerunt nonnulli, qui Geneſis hiſtoriam Latino carmine complexi ſunt. Nam & S. Avitus Alcimus Viennenſis Epiſcopus quinq. carminum libros in Geneſim ſcripſit; & Claudius Marius Victor quatuor commentariorum libros in Geneſim heroico carmine edidit, quibus ea, quæ XIII. prioribus ejus libri capitibus narrantur, deſcribit; & Godelbertus hiſtoriam Veteris Teſtamenti uſque ad Chriſti Domini ortum hexametris verſibus compoſuit. Nec prætereundi ſunt Petrus Riga, qui in Poemate, quod *Aurora* inſcribitur, utrumq. Teſtamentum carmine reddidit; & Guido Vincentinus Ord. Prædic. Epiſcopus Ferrarienſis, qui in opere, cui titulus *Margarita* hexametris carminibus quid in ſingulis omnium S. Scripturæ librorum Capitulis contineatur, indicat. Mitto Tobiam, & Anterium Clalidianum quorum a Guidone in prologo ad opus ſuum fit mentio. Tandem a Leonio Presbytero Pariſienſi Biblia a Geneſi ad Ruth *incluſive* metro reddita fuerunt. Extat hoc Poema Pariſiis in duplici codice, quorum alter eſt in gymnaſio Navarræo, (in quo Auctoris nomen minime legitur) alter in Regia Bibliotheca, in quo Leonio Presbytero Pariſienſi tribuitur. Ex his V. Jacobus Echardus ord. Præd. Tomo 1. præclari

Ad metas animus rapitur, primoq. potentem

A 2 Ag-

operis cui titulus : *Scriptores Ord. Præd. recenſiti* pag. 575. hæc refert. Operis titulus : *Biblia metro reddita a Geneſi ad Ruth incluſive &c.* Prologus

Hiſtoriæ Sacræ geſtas ab Origine Mundi
Res canere, & verſu facili deſcribere conor,
Quas habuere ſatis Moſes, Moſemq. ſecuti
Auctores, mandare proſæ, verbiſq. ſolutis
Lege metri : ſed me juvat uti carmine gratum
Auribus ut ſit opus, ne ſit minus utile menti,
Quæ brevitate metri, quæ delectata canore
Firmius id teneat, quanto jucundius hauſit

Sequitur invocatio ad Deum, tum ſic

Ad Monitorem Operis S. Victoris Abbatem

Tu quoq., quem nulla ſubnixum laude Parentum
Sed morum, & vitæ meritis ea deniq. laus eſt,
Obſcurum genere, & clarum virtutibus, ardens
Non ſane ambitio, quæſitaq. gloria multis,
Sed ſtudium veræ probitatis, & inclyta fama,
Propoſitiq. tenax, & Cuſtos regula Sacri
Ordinis ad regimen toto radiantis in Orbe
Eccleſiæ tanto dignum provexit honore.
Hortatu meditata tuo tu mente benigna
Proſequere, atq. tuæ virtutis robore firma;
Hac mea pro trepido titubantia carmina greſſu &c.

Operis Initium

Principio maſſa pariter congeſta ſub una &c.

Finis Operis.

Sed cum propoſiti jam pars exhauſta laboris
Sit non parva mei, pars major, & altera reſtet,
Sintq. ſatis magno bis ſena volumina libro,
Biſq. quater deni, bis ſeptem millia verſus;
Ne tibi ſint operis, Lector, faſtidia longi;
Feſſaq. ne medio ſolvatur in æquore navis,
Hic ſtandum eſt, portuq. licet figenda remoto.

Aggrediar celebrare Deum, res inde creatas
Principiumq. hominum, tum, qui venere, Nepotes
Vel pietate graves, multo vel crimine notos,
Dicere. Sacra cano, procul, ô procul eſte prophanæ
Muſæ, quas mendax effinxit fabula quondam.
Una eſt, quæ ſoliis reſidens ſuper Æthera primis,
Divino, æternoq. bibens de fonte, Magiſtra,
Cœleſtes rores, ſe depoſcentibus offert,
Atq. animos ſuper, & mentes ſua flumina ſpargit.
Te, Virgo, te, Diva Parens, Hominemq., Deumq.
Virginei enixam non tacto flore pudoris
Deprecor, alma preces audi, ne vota recuſes;
E Cœlis oculos ad me converte timentem
Promere venturi quondam veſtigia Nati
Magna tui, ſacris quem prædixere ſub umbris,
Atq. figuratum multarum in imagine rerum,
Jam noſtri novere Patres: cecinere Prophetæ.
Ante mare, & terras, Cœlumq., quod imminet ipſis,
Conditor ingenitus rerum, cui ſumma poteſtas
In ſe totus erat tantum ſibi notus, & uno
Se gaudens, ex ſe æterno immutabilis ævo,
Qui, quamquam vera, & ſimplex ſubſtantia, rerum
Nulla creatarum tamen eſt, quas cernimus: iſtæ
Et ſi materiem accipiant, vitamq. per Ipſum
Non ſunt, ipſe velut, nec vivunt, vivit ut Ille,
Utq.

Anchora, cum pelagus, & adhuc mihi grande ſuperſit.
Poſt oblatum D.O.M. Opus hæc ad Abbatem S. Victoris.
Tu quoq., quem falſo generis non lumine ſplendor,
Sed virtus, meritiq. illuſtrat gloria celſi,
Nobilitaſq. animi melius Victoris ut unum
Martyris æqualem ſacra ſibi Relligione
Reppererit Patrem Domus, hoc te tempore dignum
Hæc oculis lege digna tuis, fautorq. benigno
Hunc res Divinas animo tuearis habentem,
Quem tibi pro magno quæſiti munere, meque
Magnus adegiſti monitor componere librum.

Utq. Creaturas ſe ſe diffundat in omnes;
Non facit ipſe ſuis illas de partibus unas;
Nam pars nulla eſt, ſe totus complexus in uno.
(Si licet in magnis parvas adhibere figuras,
Ignotaſq. homini res notis jungere rebus.)
Ut liquidis inſigne refert in imagine ceris
Formas argenti, aut auri de more ſigillum:
Signa locat, vero aurumq., argentumq. remanſit
Semper in integro, ſolito nec ab ordine fluxit:
Sic Deus Omnipotens eſt omnia in omnibus idem,
Nec patiens quidquam a rebus ſe fertur ad unum;
Principium, finiſq. ſui, cui deficit omnis
Menſura, ipſe unus ſe ſe metitur, & implet.
Extat ubiq. Deus, nam continet omnia, & unus
Omnibus eſt præſens, vireſq., animumq., piamque
Numinis æterni teſtantur ſingula mentem;
Quid tamen ipſe Deus ſit non eſt mentibus ægris
Concipere, aut linguis tutum memorare ſuperbis,
Non opus hoc calami; ſi vires impetret auſus,
Edocet una Fides, quæ vobis dogmata pandam.
Tu modo Sacra Trias, quam Terra, atq. Æther adorat,
Parce hominis linguæ meditantis talia fari.
Æthereo veluti ſol unus fulget in axe,
A quo ſe expediunt radij, nec linquere poſſunt
Corpus cui debent ortum, ſed nexibus hærent,
Et ſimul ex illo, ac radijs procedere lumen
Cernimus, at, quamquam tria ſint diſtincta, ſub uno
Sole manent, nec tres jam ſunt in lumine Soles,
Nec tres in radijs; Sol unus ſplendet, & idem.
Sic Pater Omniſator cunctis antiquior annis
Æternum æterna (dictu mirabile!) mente
Progenerat Natum natura ſemper eadem,
Hic Patrem æquevum redamat, Natiq. Patriſq.
Surgit amore Patri, Natoq. ſimillimus alter,
Qui mare, qui terras afflat, Cœliq. profunda,

Aſtraq. clara Deus, tenebraſq. expellit opacas
Terrigenum puro colluſtrans lumine mentes;
Nec tres eſſe Dij poſſunt, ſed Trinus, & Unus.
O quæ nos tenebræ obvolvunt, qua nocte profunda
Grande tenemus iter, mentemq., animumq. fatigans!
Gloria ſcrutantes (a) Majeſtatemq. Secretumque
Opprimit.; ire nefas ultra, ne forſitan uſi
Libertate levis meditemur inania verſus.
Hoc tandem æternis quod jam decrerat ab annis
Omnipotens Numen Cœli convexa, fretumque
Ponderibuſq. ſuis libratam condere terram
(Ut viſum) inſtituit, verbo quæ condidit uno,
Et cum nigrantes operirent omnia noctes,
Nexibus, & varijs ſecum permixta manerent,
Illico lux oritur, fultas quæ dividat umbras;
Succeditq: dies nocti, nox inde diei.
Unda etiam tumidis, quæ fluctibus arva premebat
Confuſamq., rudemq. tegens abſque ordine molem,
In terræ deducta ſinum; pars fertur in altum,
Quo maris, & Cœli ſpatio diſtinguitur ordo.
Et tellus undis comparuit arida pulſis;
At vacua hæc, & inanis erat, (nam germina in illa
Nulla virent, nec adhuc exercent arva Coloni)
Et rudis informis quocumque exuta decore
Infelix veluti pondus vanumq. jacebat.
Interea purus Cœli tenet atria cœtus
Spirituum; ſublimius, & ſuper omnia cretum
Hoc genus in varias acies ex ordine lectas
Dividitur, ſummi qui Regis juſſa faceſſunt,
Alligeri hinc lucent, Arcangelus emicat inde,
Hanc Seraphim, hanc Cherubim partem tenuere, ſed illam
Qui dominantur habent, ſequitur quos Principum Ordo,
Virtuteſq., Throniq., Poteſtateſq. Supremæ,
Mille, & mille (b), iterum, & decies centena Creator
Millia millium habent circum, ſed maxima tantum
Par-

(a) *Prov.* 25. 27. (b) *Dan.* 7. 10.

Parva cohors Domino, quamquam quot nutibus adſunt
Circumeuntq. Thronum totidem divina Miniſtri,
Juſſa ferant, rerum tueantur, & inde minorum
Jura creatarum, naturæ, & legibus adſint.
Cœlicolum quæ Turba leves ſine corpore mentes,
Principio ſervans ullo non indiget actu;
Non oculi, ut videant, non auris, ut audiat, aut os
Verba ferens illis: ſapiens intelligit uno,
Atq. intelligitur ſpirabili acumine ſenſus.
Spirituum hic ideo lumen de lumine Cœtus
Primo, atq. immenſo erumpens, quod fertur in omnes,
Accipit, at munus naturæ limite claudit
Cuiq. ſuum Dator Ipſe minus, majuſq. rependens.
Vicini Solio donis, ac luce profunda,
Et noſtræ ignotis (tanta eſt præſtantia!) menti
Dotibus augentur poſt inferioribus aucti
Diſtribuunt, alijq. alijs hæc dona miniſtrant:
Fonte velut primo majores ſurgere rivos
Mos eſt, inde fluit, ſeq. unda minoribus infert.
Deligere artificis mens alma bonumve, malumve
His dederat lucis primas ineuntibus auras;
Aſt his libertas, & mens non tuta malorum.
Lucifer unus erat donis ditiſſimus altis,
Dux veluti, & Pater, & Princeps, ſapienſq. Magiſter
Hic ſe ſe tanto inſpiciens ſplendore coruſcum,
Et ſibi ſubjectos cernens ex ordine cunctos
Intumuit miſer, & ſcelerata in verba nefandis
Erupit ſignis, magna plaudente caterva;
Conſcendam in Cœlum Tibi par qui cuncta gubernas
Dicar Ego: Soliumq. Dei ſuper aſtra triumphans
Exaltabo meum: arma (a) potens, & jura movebo.
Vix ea fatus erat, Michael hæc addidit ultro:
Quis ſicut Deus? His ſiluerunt agmina verbis;
Intonuit totus, luxitq. tremoribus Æther,

Et

(a) *Iſa. 14. 13.*

Et, qui tot Signis, radiiſq. micantibus ibat
Lucifer elatus, poſt alta ſilentia viſus
Fœdus fronte Draco, ſocii quoq. criminis omnes
Munera virtutum,(heu miſeri!)&ſpolia ampla relinquunt.
Tum vero pugna in Cœlo committitur atrox;
Namq. hinc Lucifero ſocii conatibus inſtant
Regnandi ſaturare ſitim; Dux ipſe paratas
Exacuit dictis vireſq., animoſq. ſuorum:
Hic agite, exclamans, hoſtes depellite noſtros;
Me me Cœlorum o Socij Regiq., Deoque
Æquate, atq. ambos ſolio componite in uno.
Et Michel ſociiq. adverſa ex parte potentes
Inſurgunt, diroq. hoſtes decedere ab auſu
Cogunt. Tum Monſtro, ſparſiſq. Sequacibus, inſtans
Militiæ Princeps Cœleſtis ab agmine victor
Voce tonat, ſequiturq. reos impellit, & urget:
Terga date, ite citi, aufugite, & properate, deorſum
Præcipitate: Polus ſtatio eſt male fida ſuperbis.
Dixit; & infandum Monſtrum, deforme, ſuperbum
Contremuit, præcepſq. ruit, ſecumq. ſub umbras
Tertiam in antra cadens Erebi, ſedeſq. profundas
Stellarum partem cauda fumante trahebat.
Vix tetigere ſolum, conterritur omne, tremiſcens;
Mox aperit durum formidine tacta reorum
Terra ſinum & ſubito ſontes abſorbet hiatu;
Oſq., animamq. ſuam dilatans gurgite vaſto
Protinus in medios Infernus deiicit ignes.
Intonuere cavæ latebræ, mœſtumq. remugit
Antrum, perpetuo cui Janua clauditur ære;
Hæc monimenta ſuæ ſervans in limine frontis:
Nulla redire datur ſpes ingredientibus orcum.
O miſeri, cæciq. nimis, queis vincula in arcta
Libertas, Cœlum in latebras, & Sydera in umbras,
Vitaq. in æternam (quo non atrocius ullum
Supplicium fera corda premit) ſine funere mortem.

In-

Inque ſui Factoris amor convertitur iram.
Quomodo de Cęlo (a) cecidiſti Lucifer alto,
Qui mane exoriens miro ſplendore micabas?
Infima in antra tuis ibas quo excelſior alis
Laberis infelix reditum ſperare nec audes;
Jam tua ad Infernum detracta ſuperbia fundum.
Quis te nunc furor exagitat, qua percitus ira
Aſpicis amiſſo tutos conſiſtere Regno,
Quos Superum Pater æterno firmavit amore,
Tu ſemper tenebroſo, & lamentabile in antro
Diſces, ut ſummi poſſit manus alta Tonantis
Exaltare humiles, & pellere ad ima ſuperbos.
Interea Omnipotens fęcundam reddere terram,
Nullum germen erat, cui fuſum ſemine ab ullo,
Inſtituens, inquit, nunc fertilis illa virentem
Herbam producat, faciatque a ſemine ſemen,
Quodque ſuum juxta genus, & fęcunda remanſit.
Ridentes quę cumque ſuis cum floribus herbę
Ornamenta Agri, & fragrans ſpiramen odorum,
Erumpunt variæ: Mirabere forſitan uno
Ictu oculi partas Violas, rubeoſque Amaranthos,
Et ferrugineos Iacinthos ſurgere glebis.
Nobilis hic ſeries inter vepreta Roſarum,
Illic alta caput jactantia Lilia celſum,
Inde Thimi, & Caſiæ, & Tilię, tenueſque Miricę;
Cumque alijs alia exurgunt virgulta per agros;
Sed majora manent: Nemorum denſiſſima in altis
Scena jugis veluti ſummum tangentia Cęlum,
Ligna refert ramoſa ſuis, quę frondibus umbram
Forte dabunt, populis ſolatia grata futuris.
Dum jactare comas Abies, & vertice Pinus
Gaudere inſpicitur, Quercus duriſſima ad auras
Brachia protendens audet contendere ventis,
Et quo ſe figit radicibus erigit ulnas:

(a) Iſa. 14.12.

Expanſæ inſurgunt Ulmi, ſpeciemque Cupreſſi
Pyramidum multa, viridique nigredine fultę
Oſtentant, facili nutantes culmine: Sylvę
Inde alij partus; Pendère a collibus Ornos,
Mala, Pyros, Corylos, & dulces nectare Ficus;
Arborum et hinc videas diverſis edita ramis
Frondibus implicita, & pendentia poma nitere.
Luſerit at veluti, atque in terris parva crearit
Tanti Majeſtas, ac Omnipotentia Regis,
Cui totum nihil eſt, etiam ſi plurima Mundi
Queis Cęli ſtellas, Pontique æquaret arenas,
Pondera libraret, meditans decora alta polorum
Dixit: Et orta duo percurrunt Lumina Cęlos
Majus, & inde Minus, mirabile utrumque figuris;
Quę Solem, & Lunam veteres dixere Latini;
Noctibus iſta preęſt nigrantibus, ille diebus,
Et varijs annos, menſeſque, & tempora ſignant
Curſibus: Hinc numeros cęperunt ſęcula primos
Noſcere longa ſuos, atque irreparabile tempus.
Perfecta eſt Luna, in Cœlo (a) teſtiſque fidelis,
Circu pulchra nimis, cunctiſque ſub axe caducis
(Si priſcis tribuenda fides, & turba nepotum
Fallitur eripiens, quod & experientia, & ætas
Illi longa dedit terrena in corpora Regnum)
Influit, illius quoque plurima promovet error.
At Solem inſpiciens veluti ſuper ardua Regem
Culmina, quem decor exornat, radijque coronant,
Undique flammarum volventem incendia, circum,
Obſtupeo tantam pendere, ex cardine, molem
Non apicem mutaſſe uſquam tot ſæcla vagantem.
Qua majeſtate incedit, quo lumine fulget,
Et quibus auxilijs dat ſemina gignere terris, (rarū,
Inde hominum,volucrumque genus, genus omne fe-
Et quæ Terra fovet, pontuſque, animantia vivunt.
Ipſe

(a) Pſalm. 88. 38.

Ipſe velut thalamo Sponſus (a) pulcherimus almo
Egreditur, celſo exultans procedit Olympo,
Percurritque viam properantis more gigantis;
Illius a ſummo namque eſt egreſſio Cœlo,
Ejus & occurſus fuit uſque ad ſumma Polorum;
Nec datur ignitos radios vitare caloris.
Nunc moritur mira, nunc luce renaſcitur undis;
Semper Sol oritur, ſemperque hic occidit errans,
Inque locum inde ſuum per ſigna revertitur, idem
Continuus motu, ſed tempore, ibique renaſcens,
Perque Meri ille diem (b)gyrans, Aquilonis ad oras
Flectitur, ad circum rediens hęc omnia luſtrat.
Interea micuere novis altiſſima flammis
Sydera, quę veluti gemmarum ex ordine bullę
Ambiguæ cinxere Polum diſcrimine lucis.
Undique cęleſtis collucet Regia ſtellis,
Quas Pater Omnipotens, illas, qui condidit olim;
Et ſua cuique dedit loca nobis abdita, Solus
Enumerat, certo (c) compellat nomine Solus;
At mortale genus (quid enim non audeat?) illis
Et vanas tribuit dotes, & nomina fecit.
Aſtrorum proprio pars maxima figitur axe,
Pars retro, pars ante fugit, pars fertur in Orbem,
Sed quęcumque ſuo varios de Sole nitores
Noſcit, & obſervat nullo diſcrimine punctos;
Pendula Zodiaci nitidis diſtincta figuris
Faſcia monſtrat iter tutum, & qua lege Creator
Syderibus, Soli ac Lunæ decurrere metam
Imperat. Hic Aries properantis janitor anni
Terque, decemq. globis aurato in vellere fulgens
Apparet, ſequitur, qui tempora mitia portat,
Taurus. Fronte ferens Hyadas, caudaque minaci
Virgilias, terdena obvolvunt Sydera corpus,
Ternaq; mox Gemini medio de limine ab aſtris

(a) Pſal. 18. 6. (b) Eccl. 1. 6. (c) Pſalm. 146. 4.

Quinque, iterumq. iterumq. decem ſtipatus aberrat
Terris dulce parans (nam temperat Aera) tempus.
Ecce novem Stellis redimitus tempora Cancer,
Quem retro, ut tetigit, ſpectamus cedere Solem
Limina, qui referens iter in contraria, linquit.
Pone Leo graditur, ſeptem comitantur euntem
Sydera, biſque decem, Solis tunc ignibus uſta
Ora aperit centum Tellus, & pocula Cœlo
Depoſcit ſitiens., ſed naſcens turgida Virgo;
Quot Leo, ſigna ferens (unum ſed demitur aſtrum)
Cum tonitru emittit voces, & fulmina torquet.
Octo picta vagum Stellarum in imagine crinem
Portendens fluxu varium, & mutabile tempus
Libra venit; preſes cui Scorpius additus, igni,
Viginti tortum Stellis caput ornat, & una.
His autem adde decem, illius diademata noſces
Multa Sagittarum tendens qui ſpicula, ventos
Excitat undoſos, ac humida jugera reddit.
Syderibus triginta, quibus Capricornus inhęret;
Tolle duo, dices hyemis veniſſe nivoſę
Primum, alijs ſua ſervantem quoque frigora, menſē
Quadraginta duos compoſtus corpore punctos
Aſtriferos, veluti ac undis emergeret imis,
Nubibus obtectus procedit Aquarius atris,
Ultima, quem Piſces, triginta ſigna ſequuntur
Una cum quatuor, quorum vi flumina creſcunt;
Nam pluvię magis exuberant, agroſque fatigant.
At reliquum Cœli ſpatium percurrere greſſu
Quis poterit claudo, complecti & ſingula verſu?
Longa via eſt laſſo, cæco & variabilis error.
Et ſi forte canam, qua ſęvus currat Orion
Proximior Tauro, Autumni cum noctibus ęquat
Lance dies una Solis mutabile Sydus,
Quas tentes Arcture vias, quę cauſa procellas
Exci-

Excitet, & ventos tempeſtateſque furentes,
Aut quę ſint ſeptem memorabo ſigna Trionum,
Plejadeſque leves cur ſignent tempora veris,
Extremam nunquam carmen ducetur ad oram.
O me felicem ſi quando limina tangam
Illa oculis ſemota meis, Urbemque beatam
Ingrediar, vultuque tuo Rex maxime Regum
Perfruar! Haud equidem tali me dignor honore:
At ſperare juvat, mentemque his paſcere votis.
Nam tibi non tantò ditatas lumine ſedes,
Magne Pater, ſervas uni, & mihi condidit illas
Vis pietatis, amorque tuus, quaſi Filius hęres
Ut quondam efficiar ſuper alta Palatia ductus.
Ergo dies optata aderit (ne fallat amantem
Spes, rata quę dictas fac, o Sator Optime Mundi)
Ergo dies optata aderit quo magna (a) Tuorum
Aſpiciam digitorum opera, atque excelſa potentis
Dona manus Cęlos, ſubterlabentia Cęlis
Sydera, lucenteſque globos, Lunamque bicornem,
Quæ Tu fundaſti nutu, quę dirigis alto.
Sed jam ſtellifero tempus deſcendere Regno
Nos tellus, pontuſque vocant, quę pignora ad auras
Protinus ac ſummi vocem ſenſere Parentis
Imperiumque edunt. Natantia ſurgere ab imo
Incipiunt fundo ſquammatis agmina membris.
Aſpice, ut ingentes ſpumas immania cęte
Motibus attollant gravibus (velut inſula in alto
Erraret pelago) vaſtoſque ad Sydera fluctus.
Aſpice, ut Oceani luſus Delphines ab undis
Saltibus emergunt, pavidiſque per ęquora Tynnis
Infidele duces iter, & mala pabula prętant.
Heu fugite, o Nautę, & tuto vos condite portu;
Nam totum extemplo ventis miſcebitur ęquor,
Horreſcent tenebris undæ, & ruet imber ab alto.

Nulla

(a) Pſal. 8. 2.

Nulla licet clarum turbent modo nubila Cœlum;
Et placide ſpiret Zephiri nunc mobilis aura.
Sunt qui cæruleum ſinuoſo vortice corpus
Inſinuant, & ad aſtra caput, collumque ferentes
Nomen ab Angue trahunt, quos facti ignara vetuſtas
Non ovis genitos, coituve putavit, at ortos
Aut ſcopuli attritu, calida aut putredine limi.
Ore patente leves venantes gurgite in alto
Decurrunt Cephali, ſequitur quos Lampreta, & omnis,
Incola, turba Maris; tum grandia Monſtra videntur
Arietes, Corvique, Lupiq. Caneſque, Boveſque
Unà cum Volucrum turmis, quę piſcibus undas
Conceſſere ſuas, alias inquirere ſedes
Nam datur: has liquidum ſe ferre per Æthera peñis.
Aut juvat in ramis, placide aut requieſcere terris.
Inſurgunt Aquilæ, nigriſque per aera plumis
Aggrediuntur iter, nubes penetrare volatu
Auſæ, & in adverſum defigere lumina Solem:
Inde graves motu, ſoliti quaſi radere terras,
Expediuntur aquis, modo quas novere parentes;
Inflantes gyros Pavones veſte ſuperbi;
Hinc niveos candore vides, & dulce per auras
Ferre melos, plauſus, & agrorum gaudia, Cycnos;
Accipitres, raucaſque Grues, pavidaſque Columbas.
Paſſer, Hyrundo loquax, atque incola Noctua rupum
Deſpiciunt undas, nec non genus omne volantum.
Hinc quoque terra ſuos deponit provida fętus
Omne genus vita gaudens, & motibus aptum
Hinnit Equus, Lupus arva feris ululatibus implet;
Hinc Elephas barrit, reboat mugitibus hinc Bos;
Illic frendit Aper, Leo rugit, & anxia longe
Balat Ovis; varioſque ſonos dat turba Ferarum,
Inquiritque locum, ſua quem natura repoſcit;
Altera amat montes, campos amat altera apricos.

Hęc

Hæc Deus imperio Rector vix edidit uno.
Non ita, quem cunctis Hominem ſuper omnia rebus
Conſtituit Dominum produxit in ordine primum;
Quçreret auxilium, quaſi conſiliumque Creator,
Illius Ipſe ſua meditans in imagine formam,
Hunc ſimilem nobis, noſtraq. ab imagine ductum
Nunc Hominem faciamus, ait, cumque iſta loquutus
Perlonga impoſitis ſpeciem dedit arte figuris.
Materiem Artificis veluti mens alta paravit,
Namq. hanc limoſo voluit deſumere campo,
Attrectare manu variaſq. (a) effingere partes;
Inſtructas operi intentus componere glebas,
Membratimq. ſuis exponere partibus artem.
Jam caput efformat, crines diſcriminat, altam
Metiturque brevi porrectam limite frontem,
Atq. ſupercilium, explicito quç terminat arcu,
Dilatatq. vias, quibus eſt ſuperaddita naris.
Inſuper Ille cavis ſpecubus, brevibuſq. duorum
Luminum, at aſſimili, juxtoq. ex ordine gyros,
(Palpebra, quæ ſetis, ac pellibus irta tuetur.)
Proxima temporibus, capiant quç timpana, vocem
Infixit, ſubterq. genas inflavit, & ora
Intumuere roras labris referentia, dentes
Ordine diſpoſuit gemino mediamq. locavit
Linguam, pendentemque trahens lanugine barbam
Hunc primç inſtituit veluti ſub flore juventç,
Hçc oris ſpecies; colloq. aptatur, ad aſtra
Erigitur, non quale tenent Sylveſtria terris
Pronum Bruta caput, ſublime, Orbeſq. videre
Cçleſtes datur, ut rectos ad Sydera vultus
Tollens, & Superi ſpectans penetralia Regni
Divinum meminiſſe genus ſedeſq. beatas,
Queis illi quondam dabitur conſidere, poſſit
Corporis hinc aliud conjunxit fçdere pondus,

Curç

(a) Auguſ. in Gen.

Curvavitq. humeros, & brachia longa tetendit
Nervoſis volvenda ſuo compagibus actu,
Firma tamen; manibuſq. darent ut pondere motum,
Quas ornat digitis, atq. iſtos unguibus armat.
Inflectens pectus coſtis, impleverat udis
Viſceribus, rubeo conflantur ſanguine venæ,
Aſt ille eſt gelidus, nec adhuc penetrabilis errat.
Inferior pars inde hominis profertur, ab arcto
Cardine dependent femoris de limite nexu
Crura ſuo, pedibuſq. locat fulcimen in ipſis
Mirus in arte Deus; queis machina tota duabus
Mobilibus veluti fertur, regiturq. columnis.
Hactenus inſculptum ſolum, atq. immobile corpus
Sicut ab Artificis ſcalpris egreſſa figuram
Monſtrat imago ſuam, ſatiat quę lumina tantum,
Os habet, at nullas in (a) vocem ſolvitur; illi
Sunt oculi, ſed nulla vident, non percipit auris,
Aut verba, aut ſonitus, naris non ſentit odores,
Nec palpare manu, pedibus nec figere greſſus
Illa poteſt, ſenſuq. caret, nec gutture clamat.
At pulchram inſpiciens formam Deus ipſe videbat
Jam non eſſe ſuo ditatam munere totam,
Dum rationis adhuc lumen non vivit in illa:
Dotibus exutum Symulacri ut corpus haberet
Cuncta hæc Artificemque ſuum jam noſcere diſcat,
Ille, onus agnovit qui nunquam corporis, altis
Inſolitis, mirifq. modis ſpeciem induit, atque
Os ori, labium labijs, oculos oculiſque
Se pius inflectens operi conjungit, & huic flat
Ore ſuo placida, atq. ineuntia ſemina vitę.
Hęc eſt illa anima, ęterni cui temporis ætas,
Mentis clara acies meditans, & cuncta penetrans;
Conceſſumq. bonum magnum, immortale, ſupernũ
Juris & una ſui (b) res libera plena voluntas

Nulla

(a) Pſal. 113. 5. (b) Cyril. de Sta. Hom.

Nulla, coerceri, trepidans quę, vincula, neſcit.
Virtutumq. capax, & celſi (a) Filia Regis.
Ut varijs inſtructa rotis, quę dividit horas,
Machina conticuit, velutiq. immota manebat;
Aſt ubi ab Artificis libratur pondere tempus,
Omnis ſe movet ordo, concurſuſq. rotarum,
Cardinibus ſtridenſq. ſuis pars quęq. recurſat;
Claudere ut hęc vitam armata videatur in alvo.
Haud aliter primos Motoris ab ore Superni
Accipit afflatus hominis cum condita moles,
Excutitur, motumq. ſuum membra omnia noſcunt;
Nobilis hęc anima imperium, Sedemq. locavit
In ſuperis capitis penetralibus; una gubernans
Imperio ſubiecta ſuo, ut Regina, potenti,
Imperat, ut videant oculi, vocem hauriat auris;
Lingua ſonum fundat, nares lętentur odore,
Nec mora jam cernunt oculi, vocem accipit auris;
Lingua ſonum fundit, nares lętantur odore;
Hinc palpare manus, firmos pes figere greſſus
Incipit, & ſanguis venis jam turgidus errat.
Hoc opus explevit naturæ providus Auctor,
Depoſitoq. gravi, genitrix ut, pondere, fętum
Cernit læta, ſuam meditans in imagine formam;
Sic Deus inſpexit, ſeq. eſt meditatus in illo,
Ut loca, quę colerent, brutis ſylveſtribus apta,
Sic Homini propriam ſedem, ſtabilemq. paravit.
Montis in excelſa, placidas Orientis ad oras,
Fronte, ubi planities Cęlo ſe tendit aperto,
Motu quam purus jucundo circuit aer,
Eſt locus antiquis Paradiſi nomine dictus,
Poſthabitis, voluiſſe ferunt quæ jugera, terris
Tunc alijs, ornare Deum melioribus uſu
Fructibus, haud alij ſimilis quibus ordinis eſſent,
His arbor terris diſtincta eſt plurima miro

C Germi-

(a) Greg. Thaum. Or. in Orig.

Germine, & hic pariter, cum floribus aurea pendent
Poma, ſolent noſtræ quæ non educere glebæ;
Jugere diverſus flos undique ſurgit ab udo,
Nec ſplendore tenens primum, nec odore ſequentem.
Conſtituere diem mites hic lumine Soles;
Corpora defeſſis non corripit artubus ęſtus,
Non gelidus Boreas immiti frigore membra
Arcet, ſed teneri tepor, & clementia veris.
Et placidi, leneſq. dies firmo ordine ſenſus
Permulcent, gratiſq. halant afflatibus auræ;
Et tenui infundunt animis ſolatia motu.
Nec non dulciſonę volucres modulamine cantus;
Atq. ſuis lętę pictis in imagine pennis
Oblectant aures, oblectant lumina, multos
Natura in multis variat dum mira colores.
In medio Fluvius pręceps, & leniter ortus,
Irriguus fluit, & quatuor dilabitur oris,
Flumina qua totidem naſcuntur origine: Phiſon
Hinc fluit, inde Gehon velox, hac Tigris, at illac
Euphrates vaſto volvit ſe gurgite. Phiſon
Armenię celſis (ut ajunt) montibus ortus
Hevilath it circum, pretioſum ubi naſcitur aurum;
Ethiopum ſecat arva Gehon (nunc forſan Araxes)
Perſarum donec ſe ſe maris inferat alvo.
Tigris in Aſſirios vergens ad limina Tauri
Ut celer acceſſit, magno ſtridore Cavernam
Nactus in horrendum præceps prorumpit hiatum,
Secretoq. viam percurrit tramite longam;
Cappadoces, Syrijq. bibunt Euphratis in undis,
Qui caput extollens unà cum Tigride campos
Ubere glebarum pingues, & ſemine reddit.
Hęc Deus in loca delicijs ornata Parentem
Tranſtulit, ut terram exercens cuſtodiat hortos:
Illius ante oculos animantia cuncta Creator

Mox

Mox ducit, nomenq. ipſis imponere certum,
Non ſecus ac mores varii, & natura petebat,
Adamum jubet; hic proprium inviolabile nomen
Cuiq. dedit: ſed enim tacitus dum ſingula luſtrat
Corpora, nulla ſuum cernit referentia vultum,
Æqualiſq. ſuæ vox non auditur ab illo.
Tunc Sator Æternus non ulli fœdere junctum
Adamum inſpiciens, (namq. hoc eſt nomine dictus
Primus homo è rubeæ compoſtus jugere glebæ)
Huic, veluti auxilium, ſimilem producere formam
Inſtituit, nexuq. parem ſociare jugali;
Hunc ſopor invadit, ſenſimq. quieſcere in herbis
Incipit, ac oculos molli componere ſomno;
Hæc eſt prima quies hominis diffuſa per artus.
Rex Cœli interea coſtam (mirabile dictu!)
Partibus è femoris placida trahit arte jacentis,
Quo nulla integritas membrorum demitur actu,
Nam mortem, aut pœnas non fert hæc temporis ætas.
Ut ſi quis tepidis ſimulacra liquentia ceris
Aggreditur, tendit maſſam, ſpeciemq. figuræ
Signat; non aliter dextræ Omnipotentis ab arte
Digeſta eſt coſta, exculpta; & vix munere vitæ
Aucta Adæ apparet ſimilis, ſed gratior illo
Aſpectu, & membris, & blando pulchrior ore,
Namq. ita fœmineum ſexum, corpuſq. decebat.
Excutitur ſomno Adamus, membra omnia luſtrat,
Attentaq. acie obſervat, totamq. pererrat
Æqualis ſtupido ſpeciem, poſt talia fatur:
Iſta mea de carne, meis ex oſſibus oſſa
Nunc ſunt: atq. viri quoniam de corpore ſumpta
Fœmina, naturæ dicetur lege virago;
Hanc propter relinquet Homo Matremq., Patremque,
Uxoriq. ſuæ ſtabili jungetur amore,
Et duo erunt in carne una, nec dividet ullus

Aſpicit Adamum, ſimilemq. in imagine formam,
Ut videt Heva (omnes nam progenitura Nepotes
Hæc erat æthereas caperent qui luminis auras,
Hoc nomen ſignat) teneros per viſcera motus
Senſit, at innocuos naſcentis nuncia amoris;
Hos etiam Adamus ſentit, caſtuſq. viciſſim
Creſcit amor, cordiſq. pium, & penetrabile vulnus:
Hinc dextras jungunt dextris, & brachia collo
Nectunt, & blandis teſtantur fœdera ſignis:
Tunc Hominem Deus alloquitur, cui talia mandat:
Ipſe tibi ſævaſq. feras, pictaſq. volucres,
Et quæ per latos errant animalia campos,
Squammigerumq. genus, pontoq. natantia monſtra
Subjicio, imperiumq. tuum, nutuſq. ſequentur.
Quin etiam cunctis, quas hic tibi parturit hortus,
Fas herbis veſci, fas dulces carpere fructus,
Quos paſſim lætos edunt virgulta per agros.
Hoc unum jubeo, caveas te paſcere pomis
Quæ vicina tegit ramis frondentibus arbor.
(Hæc ait, & lignum quod ſcire bonumq., malumque
Edocet, oſtendit) nam, quæ te noſtra videbit
Spernere juſſa, dies, eadem commiſſa luentem,
Et letho aſpiciet dantem pro crimine pœnas;
Dixit, & ætheream retulit veſtigia ad arcem.
Lucifer interea nigris egreſſus ab umbris,
Et ſe pulchra ferens Eden viridaria circum
Vix Adam inſpexit felici in ſede quietum
Delicias inter dulci cum pace morantem,
Motibus infandæ ſubitis efferbuit iræ,
Et rabie impatiens ſe præcipitavit in Orcum.
Nec mora concilium umbrarum vocat; undiq. cuncti
Conveniunt ſocii Araciel (a), fœduſq. Lotaramph
Bal-

(a) *Nullum ex his malorum Spirituum nominibus præter Aſmodai nomen, quod in Tobiæ libro cap. 3. commemoratur in Sacris Litteris, habemus; ſed ea*

Balciel, & Sapſic, Zacielq., & Phermatus atrox,
Thauſael, Azalzel, cumq. Aramanne Sarinas,
Chababiel, Ramiel, Samiel, Tyrielq., Sariel,
Anagemas, Aſmodæus, mendaxq. Letarcuph
Eremielque furens, & quotquot Tartara claudunt,
Atq. ingens flammis Phlegheton crepitantibus ambit.
Tunc atro ex ſolio ſtimulis agitatus iniquis
Lucifer invidiæ dedit has ex ore querelas:
Magnanimi Comites, quos olim prælia forti
Miſcentes dextra ſuperis ſors improba ab oris
Expulit, immeritoſq. horrendo clauſit in antro;
Nunc qua felicis vacuata ſedilia Regni
Complere, & noſtrum, quo non præſtantius ullum
Deprimere arte genus naturæ cogitet Auctor,
Accipite. Ille, animal, cœno cui corpus ab udo,
At quæ membra movet ſubſtantia corporis expers
Eſt, & mole carens & duræ neſcia mortis,
Condidit; hoc turpi eductum de pulvere monſtrum
In pulchras Cœli ſedes, & debita nobis
Regna parat transferre almi Regnator Olympi.
Ergo agite, o Socii, vires depromite veſtras,
Infandum prohibete nefas, & perdite vilem
Progeniem, ac mentem ætherei deludite Patris;
His dictis commoti animi, & ſtridore profundæ
Horrendo reſonant ſedes, nigrantiaq. antra.
Conſilium in varium monſtrorum turba, frementum
Scinditur: ex hoſtis multi dixere fugandum
Adamum, vaſtanda alij viridaria læta
Edicunt, fultis pars noctibus omnia ſuadet
Obtenebrare; viæ jam jam ſe quiſq. parabat,
Lucifer at nigra ſurgens è Sede refrenat

An-

in fragmento libri Patriarchæ Enocho falsò tributi, quod in Chronico ſuo Synullus recitat, atq. omnium primus Joſephus Scaliger ad Græca Euſebij vulgavit leguntur. Vide Calmet de lib. Henoch. Diſſertationem.

Audaces animos: fœdoq. hæc ore profatur:
O fidi Comites vanis deſiſtite cœptis,
Non opus his. Blandis Adæ prævertere mentem
Infirmam juvat illecebris, ac fraudibus uti;
Hoc mihi ſorte datum: nam quæ jactaſtis, Amici,
Irrita ſydereæ Regnator redderet arcis.
Parvus honos, fateor, cum vili prælia luto
Miſcere: At ſi illum haud licuit ſuperare, potenti,
Qui dextra flammas, atq. horrida fulmina torquet,
Saltem hic, quem ſimilem tanta ſibi condidit arte,
Sentiat arma, manumq. meam experiatur, & iram,
Nec dextram effugiet, ſpoliiſq. oneratus opimis
Has repetam Sedes, primoſq. ex hoſte triumphos
Victor agam, atq. animam (noſtris hæc eſt meta laboris)
Immortalem animam crudeli vulnere perdam;
Imperium feret illa meum, dejectaq. Cœlo
Æternum his olim infelix mœrebit in antris,
Et dum ſol puro irradiabit lumine terras,
Terra feret fruges, errabit piſcis in unda,
Fama canet, Regem umbrarum, Inferniq. cavernas
Deſeruiſſe ſuas, homini cum bella pararet:
Tantæ molis erat limoſam perdere gentem!
Dixerat, atq. gradus ſuperas remeavit ad auras;
Utq. ſtetit fallax hortorum in limine, vultus
Dimiſit rabidos, & nigras exuit alas,
Induituſq. novis ſpoliis, & imagine, Serpens
Efficitur, toto maculatus corpore bullis,
Utq. repercuſſos adverſo ſole lapillos
Terga gerens lento deducit tramite vitam:
Interea hæc ſecum: nunc qua ratione quod inſtat
Perficiam? Aggrediarne una Sponſamq., virumq.?
Non ita; Namq. Hevæ Conjux, atq. Heva Marito
Ferret opem: Adamumne prius? Fortaſſe paratum
Detegeret laqueum; potior ſententia ſurgit
Incautam prius inſidiis deludere ſponſam,

Incit

Incidet in caſſes, capta eſt ut fęmina, conjux.
Forte Adam gradiens horti per amęna virentis
Longe aberat chara paulum digreſſus ab Heva,
Nec dirum poterat ſimulata in imagine monſtrum
Cernere, nec poterat voces audire doloſas,
(Diſcite, quę veſtra a Sponſis abſentia gignat
Damna Viri, monitiq. reos ne temnite caſus)
Dum ſola umbroſos ſpatiatur Fęmina campos,
Lętaturq. novis, quos edunt floribus, herbę,
Ac avium dulci capitur modulamine; furtim
Viſus in inſidijs nodoſa volumina torquens
Per medias reptare vias ambagibus Anguis.
Oſtentat, retrahitq. caput, modo totus inhęret
Tergore, nunc medio aſſurgit, ſeq. implicat herbis;
Jaſpide nunc fulget rutilo, nunc pallet in auro;
His faciem attonitæ ſpeculis tranſverberat Hevę;
Utq. ardor rapiens oculos, & dira Cupido
Acquirat vires, paſſim inſidioſus abibat:
Hunc avida inſequitur Mulier, fugit iſte ſequentem;
Inde, capi veluti exoptet, ſe fingit inertem,
At mox è manibus niſu delabitur uno.
Acceleratq. gradus, hac arte, doliſq. malorum
Ignaram ad vetiti deducit limina Trunci;
Fęmina ſic trahitur rerum ſtudioſa novarum.
Arboris ad ſedem ut venit, complectitur arctis
Ingentem nodi ſtipitem, repitque; cucurrit,
Ut prompta arriperet Mulier, ſed tortus in altum
Se tulit, ac inter frondes, & poma pependit.
Serpentem interea miro ſplendore coruſcum
Dum videt intextum folijs male cauta Virago,
Aſpicit & poma, & viſus cor allicit: Ille
Motibus intentus paulatim ut nata voluptas
Accipiat vires, ſcelerato nititur aſtu:
Fructibus innixus movet hos, dein lambere fingit,
Fron-

Frondibus inde operit medios, retegitq. ſub umbris,
Hac animum, atq. oculos titillans fraude videntis.
Sic trahit ad vetitos occaſio proxima guſtus.
Inſuper ore dolis aſtuto hæc addidit Anguis:
Hęc hortis quæcumq. nitent pendentia poma
Cur Deus impoſuit, ne Vos comedatis? Inertes;
Simplicitate nimis, vana & formidine capti!
His Heva obſtupuit dictis, mirata loquentem,
Quem nunquam audierat naturę legibus Anguem;
Utq. loqui ſemper prompta eſt, hæc, Fęmina, reddit:
(O Utinam nullas potuiſſet reddere voces!)
Haud Deus Omnipotens veſci nos fructibus horti
His vetuit; tantum quæ pendent arbore ab iſta
Poma vetat, vitam ne forte hęc auferat eſca;
Subdolus hęc contra: fictis ne eredite verbis.
Nequaqam morituri: at veſtrum quiſq. Deorum
Naturam indutus pręſcire bonumq. malumq.
Extemplo poterit. (Tanta eſt vis indita pomis.)
Quod noſcens, metuenſq. alti Regnator Olympi
Poma vetat vana mortis formidine terrens;
Hoc ita, quo perijt ſceleratus, crimine quondam,
Detrahit in præceps alios, cui credidit Heva,
(Qua duce, ventoſis inflatur fęmina lumbis.)
His ubi capta dolis ad poma extendere dextram
Incipit, adverſos ſentit ſed pectore motus;
Intremuere manus miſerę, & calor oſſa relinquens
Edocuit quam grande nefas; at cępta cupido
Invaluit, monituſq. fugit, ſuperanſq. timorem
Fatale infelix divellit ab arbore pomum.
O Animum, audaceſq. manus! Scelus omne ſub uno
Crimine ſemen habet, dum poma revulſa momordit.
Interea Serpens parto jam lęta triumpho
Corda ferens jactat ſe millibus arbore gyris,
Ramoſa intortum volvens per brachia corpus

Hæç

Hæc ait: Adamum quidnam tentare neceſſe ?
Ipſa meas prçſtare vices nunc Fçmina in illum
Victa poteſt: aliam nullo mihi prçda labore
Parta feret. Cerno his hominem ſuccedere terris:
Hujus in occurſum ruituri perdita greſſus
Sponſa movet; folijs hic tutus, & abditus umbris
Accipiam quæ verba ferat, quç facta ſequantur.
Sic ille interea Heva Virum prçoccupat auſa
Poma manu oſtentare, illiq. obferre, ſed artus
Irriguere gelu tremefacti Conjugis. Horret
Hoc viſu; obſtupuit, pavit, dextramq. retraxit
Hçc addens: quænam, Mulier, te cçca voluptas,
Quiſve dolus cæpit? Fructu nos veſcier iſto
Nonne Deus vetuit mortem, exitiumque minatus?
Increpuit lacrymis tali ſermone locutum
Fçmina, ceù nullum chara pro conjuge amorem
Corde ferat, timiduſque velit ſua temnere dona;
Signa hçc naſcentis ſuſpiria prima doloris
Infirmum vicere animum, tetigere medullas;
His Adam ſenſim indulgens, & denique victus,
Oblituſque Dei ſequitur jam Conjugis auſum,
Extenditq. manum, & fallacem devorat eſcam;
At quiſnam videat turpi pro labe Draconem
Exultantem animo, atque dolos celebrare ſecundos!
O me felicem, potui qui fraudibus hoſtem
Reddere divino Regi, quem dulce levamen
Fecerat ille ſibi, ſuperiſque excludere Regnis.
Hçc tantum: extemploque leves reſolutus in auras
In Baratrhum Victor, Socioſque redivit ad imos;
Atque hic vix tenebras ingreſſus, vicimus, alta
Voce tonans, iterumque ululans, jã vicimus, inquit.
Omnes lætitia explevit, ſi gaudia luctus
Æterni illud habet miſerum, execrabile Regnum.
Sacrilegos inde ore ſonos ſpumante Satorem

Illudens rerum patrati criminis Auctor
Proſeqnitur.(dictu horrendū, audituque nefandū!)
O Tu ſumme Deus, cujus tam magna poteſtas,
Tam grande imperium, & vires, & jura per Orbem
Undique panduntur: Sanctum, & venerabile Numen
Noſce tuum quali audaces venerentur honore
Nunc Homines, monituſque tuos, & juſſa faceſſint.
Diſce igitur tractare putres, & condere glebas,
Atque tuas vili formas infigere luto.
Infando ſermone omnes ſtridentibus alis,
Et ſtrepitu circum horriſono ſcelerata canentes
Regis facta ſui, umbroſę plauſere Catervę.
Sed fortunatos viſum redeamus ad hortos,
Olim felices, miſeros nunc labe Parentes.
Rivus ut a primo decurrit fonte quietus,
Purus aqua, & leni permulcet corda ſuſurro;
Sed cum præcipitans altis de montibus unda
Iiſe miſcet, ſaxis, & frondibus auctus
Irruit horriſono fremitu, quo concutit aures,
Atque atra affines complet formidine campos:
Mente ita compoſitus, totuſque erat integer Adam,
Spiritui corpus parebat, ſpiritus almo
Parebat Domino, cum nondum juſſa Parentis
Æterni miſer infando contempſerat auſu.
Aſt ubi poma vorat, velut acri fuſa veneno
Eſſent, non animi corpus, non ſpiritus almi
Subditur imperio Domini, & fera prę lia miſcent.
Hinc dolor, hinc timor, hinc rubor, & quodcumque
Exortum; omnino eſt Adam mutatus ab Ada. (malorū
Principio ut nullo corpus velamine tectum
Cernit uterque reus, perfunditur ora pudore
Inſueto, pallet, ſubitus tremor occupat artus;
Incerti quid agant, queis non cernenda pudic o
Lumine membra tegant ſpolijs circum omnia luſtrant:

Sol-

Solliciti, huc illuc currunt, & denique ficus
Decerpunt folia, & circum velamina lumbos
Intexunt, reliquumque manet ſine tegmine corpus.
Jamque dies curſu medium compleverat axem,
Cum Superum Pater ætherea delabitur Arce,
Perque hortum gradiens, veluti ſpatietur ad auras;
Terruit hos culpę memores, & digna paventes
Supplicia, hinc ſeſe eripiunt, umbriſque tuentur
Arboreis: ſtulti, qui ſe vitare fugaci
Curſu poſſe putant Numen, quod cuncta penetrat;
Jamque inſtatDeus, atque Adam vocat: alta per auras
Vox ſonuit, gelido ſolvuntur membra reorum
Frigore, ſuccedit tremor, & veſtigia tarda,
Atque incerta pedes trepida formidine ſignant.
Horruit ante Deum fletu madefactus uterque,
Mollior Heva tamen; ſimulat nam Fęmina luctum;
Utque libet lacrymas effundit ab ore doloſas.
Tum Deus aggreditur primum ſic ore Parentem:
Cur me ingrate fugis? Miſer hęc ſuperaddiditAdam:
Namque Ego nudus eram. Quis tegmine membra ca-
Noſſe dedit, niſi quod vetito te paſcere pomo (rere
Auſus es? Adamus ſcelus excuſare paratus,
Poſcere quam veniam potius, culpamque fateri:
Hęc mihi, quam Comitem Vitęque, Thoriq. dediſti,
Attulit avulſum frondenti ex arbore pomum,
Aſt Ego conſilium Sociæ, atq. exempla ſecutus,
Nec fraudem veritus delato munere paſcor.
Inde Hęvam demiſſam oculis, totamq. trementem
His Deus improperat dictis: Cur talia, Demens,
Feciſti? Illa premens Adę veſtigia fallax,
Me decepit, ait, Serpens, & poma comedi; (tur
Tunc Deus ore gravis veſtrum inquit digna ſequa-
Pęna ſcelus: Serpens, ſceleris fabricator iniqui,
Tu pectus gradiere tuum ſuper, eſcaque fędus

Pulvis erit poſthac, cunctiſq. inviſus abibis;
Et tecum æternum ſervans ſub pectore vulnus
Fęmina, fęmineumq. tuo cum ſemine ſemen
Bella geret; caput ipſa tuum premet, illius ipſe
Calcaneo inſidias tendes, laqueoſq. parabis.
Tu, Mulier, mala multa feres: tibi plurima proles,
At prolem multos edes perpeſſa dolores,
Imperiumq. feres, legeſq., & jura Mariti.
At tibi, qui Sponſę Scelus, es male caute ſecutus,
Quæ prius injuſſos, nec aratri pondere fructus
Terra tulit, vepres, tribulos, mala germina, ſpinas
Nunc feret, & panem ſudore, atque arte parabis,
Veſceriſque herbis, donec mors auferat auras:
Es cinis, atque tuum in cinerem verteris, & Uxor,
Et Nati Natorum, & qui naſcentur ab illis.
Tum Pater Omnipotens ſortem miſeratus iniquam
Terrigenum veſtit contextis pellibus ambos,
Atq. ait: En nobis veluti par redditus Adam,
Namq. boni didicit naturam noſſe, malique;
Nunc ergo ne forte manu, quę parturit arbor,
Cui vitę nomen, divellat poma rapaci
Aurea, & his veſcens æternum vivat in ævum,
O Superi hunc alias celeres depellite in oras.
Dixerat: Ethereamque minax remeavit ad arcem.
Infelix Adam miſera cum Conjuge fruſtra
Effundunt lacrymarum imbrem, fuſique per herbam
Tundentes iterum geminatis pectora pugnis,
Luminibus clamant immotis, aſtraque votis
Pulſant, & laſſas tendunt ad Sydera palmas;
Nam lenire graves offenſi Numinis iras
Haud licet, & pęnas, Supremaq. vertere juſſa.
Per medium auratis Cherubim volat aera pennis,
Cui croceis undans auræ formoſa capillis
Frons eſt, quę galea premitur fundente nitores
Auri,

Auri, dum radij Solis flectuntur in illam,
Nudus membra: humeris tantum pendebat in imos
Rubra Clamis lumbos multo variata lapillo,
Et diſtincta novis gemmarum plurima bullis,
Extremos lentus cui cinctus amovet aer;
Pulchra quidem facies, roſeoque colore nitefcens;
Semina at inſpirat quædam permixta furoris;
Ante Adam, & Sociam trepidis vix conſtitit alis,
Juſſa Dei intonuit, vaginaque eripit enſem,
Ignibus arte nova extructum, flammaſque vomente
Et jubet ex charis decedere Sedibus ambos:
Tum loca clamoſis ululatibus omnia circum
Implentur, gemituque, & ſurda ad Sydera voces
Nequicquam effuſas Cœli convexa remittunt;
Nec mora, nec requies dulci coguntur ab ęde
Ferre pedem, atque vale Supremũ his dicere terris!
Tandem oculis demiſſi abeunt; pes tangere metam
Horret, & ad limen veniens, ſe vertere retro
Tentat, at Æthereus verſans rutila arma Miniſter
Impellit, tardoſque locis decedere cogit.
Ipſe aditu prohibet cunctos, & limina ſervat,
Egreſſi foribus turbati mente Parentes
Infremuere, oculos vertunt, Sedeſque beatas
His Adam alloquitur: Nobis fęlicia quondam
Innocuis loca, pęnarum nunc cauſa, valete
Æternum; poſthac numquam vos ipſe reviſam:
Me miſerum! Quid agam? Rerum fortuna mearum
Adverſis mutata rotis, me proripit imis
Partibus, & numquam remeandi facta poteſtas
Auget in immenſum noſtros ſine fine dolores.
Hæc ait illacrymans; imitatur Sponſa Maritum
Voce pari; has inter lacrymas lux candida Cœlo
Erumpens amborum lumine circum fulſit
Ora, oculos pavidi intendunt, tum major ad auras
Vox

Vox ſonuit: „ VESTRUM MISERI (a) LENITE DOLOREM;
EST PIETAS, EST FIRMA SALUS MORTALIBUS ÆGRIS.
IPSE EGO DIVINI SOBOLES DIVINA PARENTIS,
ÆTERNUM ÆTERNO NUMEN DE NUMINE, VESTRUM
PRINCIPIUM, ET FINIS, MUNDI MELIORIS ORIGO,
IPSE EGO, CUM CERTUM COMPLEBUNT SÆCULA CURSUM,
INDUAR HUMANAM DELAPSUS AB ÆTHERE CARNEM,
INFANDUMQUE SCELUS CRUDELI MORTE PIABO.„
Hæc Ille; & ſplendor cum voce evanuit omnis.
Exultant animis, fletuque madentia tergunt
Lumina divinæ capti dulcedine vocis,
Ambo proſternunt humili ſe poplite terris,
Et dignas tanto reddunt pro munere grates,
Oraque in æternas ſolvunt lętantia laudes.
Interea incępit venientum prima malorum
Ætas; Qui quondam cunctarum munere rerum
Dives erat, cujus, Domini velut, omnia juſſis
Parebant, miſer, & pauper mendicus, egenus,
Ecce repentinis mutatus caſibus Adam.
Cogitat interdum quanam modo comparet arte
Uſibus opportuna ſuis, atque apta trahendo
Męrenti miſeras unà cum Conjuge vitas.
Ut terris vidit ſentes parientibus acres.
Semina, quæ ferrent eſcas, inculta manere
Pręfocata malis, ſimul ac fallacibus herbis;
Raſtra, ligones, & curvum meditatus aratrum
Hæc cepit ſudore Parens divellere primo.
O dignum

(a) Jonat. apu. Chalm. Stor. Teſt. V. p. 10. 11. ali. com. Gene.

O dignum lacrymis, & deplorabile viſu
Indomitos illum Tauros ad aratra trahentem,
Cujus ad imperij primas animantia leges
Mitia tam facili properabant omnia curſu!
Membra Dei compacta manu, tam nobile corpus.
Quis modo, cum videat tractare fabrilia, luctu
Temperet a multo? Admiſſę hæc ſunt prœmia culpę.
Heva ſuos etiam fert irrequieta labores;
Cuſtodire greges, tutiſque includere ſeptis,
Et didicit mulcere peçus, tum vellere tonſo
Diſpoſuit lanas, queis aurea fila reducens
Texeret, ac textis operirent corpora nudi;
Poſt hæc horriſoni cæpere per aera venti
Sęvire, & totum convellere ſedibus Orbem;
Concreſcunt glacie rivi, curſumque coercent
Flumina, tunc crebrę pluvię, quas alta ſequntur
Per montana nives, & campos grandinis imber:
Undique de Cœlis nocuo diverberat ictu: (mas
Hinc tremor in membris, hinc cura exquirere flam.
E' ſilicis venis, diſcunt quas addere Sylvis.
Depoſuere hyemis poſtquam fera tempora vires.
Incipiunt placidi veris procedere menſes,
Et Zephiri ſpirant: ſed enim ſua jura malorum
Sunt etiam; Cœlum tonitru mugire tremendo
Nam ſolet, & rapidis jactat cita fulmina nimbis;
Peſtifero emarcent putres humore lacunę,
Halitibuſque implent circum male olentibus auras;
Hinc nova Serpentum ſoboles egreſſa cavernis
Oſtentans criſtata caput, linguamque triſulcam.
Antiquas reparat vires rabiemq. veneni:
Tempora ſic vexant: O culpę dira poteſtas!
Jam ſequitur rabidis oneroſa caloribus anni
Pars illa, aſſiduis artus quę ſolibus urens
Debilitat vires multo ſudoris hiatu,

Non

Non datur,& quamquam laſſis requieſcere membris;
Langueſcunt, herbę, flores moriuntur in herbis;
Perdit rivus aquas, & nullus ſibilus auræ,
Temperet æſtivum leni quæ flamine Solem,
Auditur: campos ſi forte deambulet Adam,
Uſque oculos pulvis lacrymis exęſtuat udos,
Et ſi forte velit dulci requieſcere in umbra,
Tunc ſpecies parvis animantum plurima cultris
Informem excutiunt ſomnum, cæptamq. quietem.
Æſtatem Autumnus gravido qui frugifer agro
Subſequitur, ſua fert varijs incommoda morbis,
Namq. hoc ancipiti dimenſum frigore tempus,
Et varij Soles, halitu diverſus & aer,
Tum calor, & frigus multo diſcrimine luctans
Multa ferunt, pœnas ſceleris, contagia membris.
Ictibus excuſſos capitis ſentire dolores,
Aures imbuto ſurdas humore ſonantes
Incipit hinc Adam; trahitur modo pectore tuſſis;
Nunc oculos velat nubes, nervoſque coarctat
Vis occulta mali, pars altera fæmoris ęgra eſt;
Febribus inde tremit totum, poſt ignibus ardens
Ebullit corpus, ſed quis genus omne malorum
Complecti poterit numeris, & claudere chartis?
His Adam, & Conjux meritis obnoxia pœnis,
Et ſoboles vivit, venturaque tota propago.
Hoc commune malum: proprias at Fęmina pęnas
Suſtinet ęrumnaſque, & fœti pondera ventris
Ipſa trahit noni decurſu menſis anhelans.
Naturale ſubit pariendi tempus, & inter
Viſcera jam ſentit fætum conatibus auras
Quærere maturum, qui trudi, e carcere tentat.
Artubus inſurgunt tremitus, partuſque dolores,
Quos convulſa movet preſſo pars intima nixu
Ponderis; unde iter obdenſo circumdatur orbe.

Quod

Quod natura ſuis dilatat viribus arctum.
Contrahit Heva oculos, toto ſe corpore flectit,
Contorquet digitos, capiti dextramq. ſiniſtramq.
Admovet, & retrahens ululatibus omnia circum
Complet, feſſa genu; & ſudoribus uda malignis
Membra calent, urget nimius dolor oſſa penetrans.
Illacrymans Adam miſerę pietate dolentis
Neſcius auxilium pęnis pręſtare; cadentem
Nunc humeris regit innixam, nunc excipit ulnis;
Et lacrymas miſcet lacrymis, & dira malorum
Nequidquam pomi cognoſcit femina cauſam.
Non ſecus ac navis, velat cui ſydera nimbus,
Nocte iter inflectens, ventiſq. furentibus acta,
Cum ſeſe ſcopulos circum, & vada cęca vagari,
Jamq. undis mergi credit, ſi forte fugatis,
Orta dies, tenebris, terram portumq. propinquum
Oſtentet, lętis clamoribus Æthera pulſant
Nautę: ſic Mulier prius atræ proxima morti,
Ut videt excuſſo prolem jam ventre ſolutam,
Lęta animo, ac vultu, priſcos oblita dolores
Hæc inquit: Summi Natum virtute Tonantis
Ægrarum genui curarum dulce levamen.
Hic etiam exultans Adam miratus eumdem
Viſceribus tanto eductum diſcrimine natum
Lętitię emiſit lato de pectore voces.
(Heu quot in infandos vertentur gaudia luctus
Veſtra, puer quoſdam poſtquam compleverit annos!)
Tum puerum amplexus pulchris mille oſcula labris,
Mille ori figit, parvis & totus inhæret
Membris, atq. ſinu cupidæ deponere Matris
Oblitus gremio fovet; at nimis anxia partum
Heva ſuum poſcit, quem vix ac reddidit Adam;
Luminibus formam meditatur corporis omnem,
Maternumq. bibit tenera dulcedine amorem.

Nunc roſeas palpare genas, nunc tangere nares;
Nunc ſpectare aures, meditari lumina, & ora
Nunc iuvat: inſpicitur manuum nunc ordo, pedumq;
Et moles Patris referens in origine formam.
Non tam lętus amat Naturę Pictor inhærens
Cernere, quem tabulis effinxit imagine vultum
Deductum, expreſſumq. ſuo, velut Heva movetur
E pueri ſpecie, in qua ſe meditatur amantem,
Et magis hunc luſtrat, magis hinc ardeſcit, & ignes
Occultas ſubeunt cordis, penetrantq. medullas.
Tandem nuda ſinu pendentem ex ubere, dextra
Lætaq. obſtringens hunc dulci nectare paſcit.
Ortus ita eſt Cain, talem dixere Parentes,
Quod foret ęterni poſſeſſus munere Regis.
Interea cępere alij decurrere menſes,
Atq. his expletis, prolem tulit Heva ſecundam;
Abel cui nomen, ſignatq. afflictio vocem.
(Quot tamen uno homines, fama eſt, hęc fęmina partu
Progenerat, (a) totidem vario fert germina ſexu)
Crevit uterq. puer ſtudio genitoris, & ambo,
Vivere quo poſſint, Patris ſubiere laborem.
Agris inſtituit Cain, gregibuſq. colendis
Adverſum ingenio Adamus pręfecit Abelem.
Nam mitis, fraudeſq. innectere neſcius iſte,
Ille dolos ſuetus meditari, atq. efferus ore.
Hos memorare Deum, & venerari legibus æquis
Sacrorum edocuit, ſanctas erexit & Aras.
Illi obferre jubens primos de germine fructus
Aut gregis, aut agri, æterno ſic dona ſueſcunt
Numini, & infuſum natura reddere cultum.
Sed varium eſt ſacrum, nam pinguia munera Abelus;
Et meliora legit, (b) ſuperis quę devorat ignis
Sedibus emiſſus, ſed Cain peſſima frugum
Dona parat, nec dona probat Regnator Olympi;
Nec

(a) Clem. Alexan. lib. Strom. (b) Cyril. lib. 11. in Gen. Hier. quaſt. Heb. Griſ. in Epi. ad Heb. c. 11.

Google

Nec rutilo notum demittitur æthere ſignum.
Vidit ut abſumi fraterna hic munera flammis,
Et ſua deſtitui, Deus hęc ceu ſperneret, iras
Ebibit infandas: animo deſpecta recurſant
Sacra, atque invidiæ nutrit ſub pectore vulnus;
Fallaci ſed enim premit altum corde dolorem.
Aſt Abel innocuus, nec credere tecta ſuetus
Tanta animis ſcelera, haud metuit ſe fidere Fratri;
Sed Deus, omne patet cui cor, loquiturq. voluntas
Omnis, in obſcuro ſcrutatus corde Caini
Inſidias, iraſque, hunc ore affatur amico:
Quę Te vis animi, Cain, nunc effera torquet?
Cur macies letum fędavit livida vultum?
Nonne parata tuo merces eſt digna labori,
Si quid agas rectum: ſi noſtras ſpreveris audax
Leges, nonne dabis pœnas? Sed vincere motus
Infandos potes, & ſenſus ſuperare rebelles.
Hæc Pater Omnipotens, ſcelerato a pectore diram
Velleret ut rabiem, Fratriſq. a cęde moveret;
Sed Cain monituſq. pios, voceſq. minaces
Contemnit, mortemq. tenax intendere Fratri,
Omne ſolum vertit, fraudes, loca, tempora quęrit,
Seque alium ſimulat, veluti, latet, anguis in herba.
Ore dolos placido nectit, vultuq ſereno
Signa edit pacis, dum pręlia ſæva revolvit:
Sic primus rabidę docuit mala ſemina peſtis
Occultare Cain. Artes vitare malignas
Diſcite mortales, placidę & ne credite voci;
Inſidioſa reis tegitur nam machina ſignis.
Flumina quę tacitè currunt labentibus undis
Heu fugite! Hęc rapido demergunt vortice lapſos;
Et quę blanditiæ fuerant, atque oſcula amantum,
Vertentur tandem in morſus, rabiemq. ferarum.
Mollia non aliter, fovet hic dum ferrea, jactat

Pectora terribilem tandem paritura furorem;
Jamq. dies aderat cędi decreta nefandæ;
Convenit ignarum ſceleris Cainus, & iſtis
Aggreditur dictis: Cur non, ſolatia mentis,
Viſum rura venis? Poſitos ex ordine ſulcos;
Et teneris arbuſta ſolo conſurgere ramis
Aſpicies, varios, vario quæ tempore fructus
Rèddant, atq. meo viridantia jugera cultu.
Eja áge, te Socium ne dedigneris amanti
Jungere, per medios lęti ſpatiabimur agros;
Aut placidas tenera requieſces feſſus in herba
Propter aquas leni, quarum tua membra ſuſurro
Excipient ſomnum, & longas de pectore curas,
Si quę ſint, pelles; ſic fatur ſubdolus; inde
Oſtendit mites oculos, & dulcia promit
Verba, humeros palpat, riſuſque effundit ab ore
Mendaci, in Fratrem vulnus dum nutrit acerbum;
Fraudibus innocuus tanta dulcedine tectis
Credidit his Frater; carpunt & ſtrata viarum
Longa ſimul: blandè in laqueos ſic ducitur inſons;
Triſtis ut è ſylvis rabieq., fameq. petitus
Egreditur lupus, & circum fera lumina torquens;
Si qua tenent armenta, procul cuſtode, relicta
Aut rupem, aut montem; greſſus metitur, & unde
Invenit errantem tutis a matribus agnum,
Unguibus in miſerum ſe fert, & dentibus ira,
Ingluvieq. furens lacerat, diſcerpit, & intus
Infigit morſus, & ſanguine vellera tingit,
Nec prius abſiſtit, carnem quam devoret omnem;
Attritiſq. cavam ferus impleat oſſibus alvum:
Sic, procul ut comites oculis abiere parentum,
Atq. ſecretorum penetrarunt invia rurum
Eſt ſubito Cain totus mutatus ab illo,
Quem fraus occultum, rabies & preſſa tenebat.

Eru-

Erubuere oculi, macies & livida vultu
Apparet, labijs & ſpuma trementibus exit,
Impia, cum velit irarum componere cauſas,
Lingua tremit, duro veluti compeſcita morſu;
Attamen hæc pauca infando depellit ab ore:
Eripiat nunc ille Deus, cui grata fuere
Sacra tuis, deſpecta meis ſed munera in aris.
Noſtris te eripiat manibus: Sat vivere mecum.
His Abel intremuit dictis, ſanguiſq. retorquens
E venis curſum, circum prçcordia ductus
Conſtitit,& largos oculi rumpuntur in imbres.
At nulla eſt pietas, duplici nodoſa furenti
Ligna manu extollit; manibuſq. a fuſte tuetur
Hic trepidis caput, implorans, clamanſq, quid egi?
Germane adverſum quid ſum molitus, ut iram
Ipſe tuam patiar? Quænam te inſania cçpit?
Ferte citi auxilium, auxilium mihi ferte Parentes.
Vox nulli audita eſt, majori accenditur ira
Cain, ingeminatq. ictus, & vulnera, donec
Percuſſi corpus madefacta ſtravit arena.
Mox Abel in ſçvum rorantia ſanguine volvens
Lumina Cainum, morti jam proximus addit
Hçc medio prçrupta ſono; ne digna rependat
Suplicia Æthereus Rector, cui noſcere mentes
Innocuas, fonteſq. datur, ſumatq. merentis
Pçnas: ignoſco; juſtos nec funeris opto
Ultores; ſed tu Divinæ haud immemor iræ
In melius converte animum, veniamq. precare,
Namq. prius fortaſſe Deus tua crimina ſolvet;
Interea veram, quç ſignent oſcula pacem
Labris ſume meis, horres ni jungere vultum;
En morior, valeas, aſt addere plura volentem
Perfidus haud paſſus, tantæ quem ſigna remordent
Virtutis, totiſq. ruens cum viribus, haſta
Effregit mediam multo cum ſanguine frontem;
Atq. viam tenues animæ properavit ad auras. GE-

GENESIS
LIBER SECUNDUS.

UT gelidos artus, & fœdum ſangui-
ne vultum,
Squallenteſque oculos, primas in
imagine mortis
Formas, inſpexit Cain, horrore
tremiſcens
Avertit faciem, incuſante cadavere crimen
Immane, invidiamq. feram, rabiemq., furoremq:
Aſtitit ut paulum, meditans quid feeerit, oſſa
Intremuere gelu, arrectique ſtetere capilli.
Cogitur ex ocu'is indignas edere guttas
Non pietate ſui, potuit quem occidere, Fratris;
Sed vi naturę juncti de ſanguine nexus,
Exprimit invitis etiam qui cordibus undas.
Jam tentare fugam, horrendo ac ſe avertere viſu
Cogitat infelix, convexa foramina rupum,
Montes, & cæcas valles, loca inhoſpita, & antra
Poſcit, at inſequitur facies, & pallida imago,
Sanguineique oculi, & multa de tabe cruentus
Improperans ſemper fraternus crimina vultus
Semper ineſt animis, & menti ſemper inhæret.
Sed Deus huic fatur: Tuus eſt ubi Frater Abelus?
Hoc retulit pavidus reſponſum: Neſcio; Cuſtos
Numne mei ſum Fratris Ego? Cui talia Numen:
Perfide, precipitem quis te furor egit? Abelis
San-

Sanguinis è madida noſtras vox clamat ad aures
Tellure, & meritas hortatur ſumere pęnas.
Ergo Tu poſt hac ſtimulis vexatus acerbis
Duces in fœda fraterno Sanguine terra
Infauſtos, miſeroſq. dies; operaberis illam;
At nullos ullo reddet tibi tempore fructus.
Territus, & profugus quaſcumq. vagaberis oras;
Nulla quies, pax nulla tibi, dum vivere detur.
At Cain irę furijs agitatus iniquis
Hęc inquit; Venia eſt major mea culpa: Subibo
Ærumnas; eris & mihi inexorabilis Ultor,
Jam nullam licet ęternum ſperare ſalutem,
E terra, facieq. tua me projcis: Omnis
Qui profugum inveniet, funus raptabit ad atrum:
Tum Deus haud equidem; ſi quis te occiderit, ultro
Septenis pœnæ vicibus ſuperaberis illi.
Sic Dominus, ponenſq. ipſi indelebile ſignum
Ictu oculi citior Cœlos remeavit ad altos.
Hęc inter Pater Adamus cum Conjuge natos
Jam labente die nondum ad ſua tecta regreſſos
Inſpiciens, ſenſit primas in pectore curas;
At nox incubuit tacitis ubi pallida terris,
Majores cępere animum, dare corpora ſomno
Neſcius, in longas cum Sponſa protrhait horas
Sermones, quę ſors fuerit, quę cauſa morantum
Natorum, terrent ambos vario ordine caſus:
Sic totam inſomnes noctem duxere Parentes,
Intentiq. aures ad limina ſępe tenebant,
Si quas accipiant voces, ſi forte redirent,
Vix tandem Alba Polo nigras dimoverat umbras
Solliciti tectis elapſi, ad jugera curſum
Arripiunt, paſſimq. vocant, revocantq. duorum
Nomina, ſed tantum valles, & concava eumdem
Excipiunt, redduntq. ſonum: timor occupat artus,

Cum longè ante oculos quemdam videre jacentem ;
Accedunt trepidi, & miſer inſpectatur Abelus.
Spiritus infremuit totus, vox faucibus hæſit,
Defecere oculi, gelidoſq. per oſſa tremores
Serpere ſenſerunt, nec adhuc ſunt credere certi
Quem vultum aſpiciunt, notum tamen eſſe putarunt,
Quamquam udum tabe, & nigris palloribus atrum ;
Corpus in hoc oculos, intentiq. ora tenebant ;
Antiquas donec ſpecies fert lurida imago,
Immerſumq. ſuo noſcunt in ſanguine Abelem.
Invaluere gravi tactis ut formidine ſenſus,
Quot ſurgunt animis motus, quot mentibus umbræ
Cum Nati prima videant in morte Parentes
Grande ſcelus, miſerumq. nefas! Triſtes ulularunt ;
Nulla quies oculis, cordi ſolatia nulla,
Pacis nulla mora, aut ſpatium ſtat mentibus ęgris.
Irruit exangue in corpus, pulſatq. querelis
Aſtra dolore furens Mater, Genitorq. fluenti
Labentes una cum nati ſanguine guttas
Immiſcent, fœdantq. ſinus, atq. ora cruoris
Labe, ſuper miſerum figunt dum frigida vultum
Oſcula, complexuq. fovent dum mortua fruſtra
Membra, cadunt vivi, ſimileſq. cadaveri inhærent.
Ut rediere animis vires, ſenſuſq. priores,
Uxori hæc Adam: Primus de femore natus
Has nobis pœnas tulit, ille hęc vulnera fecit,
Innocuiq. manus fędavit ſanguine fratris.
Me miſerum, cęcumq. nimis! Num ſigna furentis
Noſcere non poteram, cum perfidus ille ſolebat
Inſpicere adverſo deſpectum lumine Abelem?
Non illum toties rixæ componere cauſas,
Non fremere audieram? Quoties jactare minacem
Eſt viſus frontem? Quidnam ſperare licebat?
Quid plura? Heu Conjux ſceleris veſtigia noſtri

Prima vide, mortemq. illam, quam jure minatus
Omnipotens nobis fuerat; circumſpice: Finis
Hic quoque noſter erit, venientum hæc meta Nepotum.
Sed juvat extincti fraterna cæde cadaver
Subtraxiſſe oculis, & Matri reddere terræ.
Inſtituit tumulum: moles hæc prima Sepulchri,
Natorum mortis, primuſq. parentibus horror.
Poſt hæc inquirunt infectum labe Cainum,
Ut ſcelus obiciant juſtis immane querelis;
Ora patris, Matriſq. oculos, ſed fugit iniquus.
Tum Nati repetunt tumulum, renovantq. dolorem;
Poſt multas lacrymas, poſt tot ſuſpiria cæſi
Fuſa ſuper buſtum, tandem Materq., Paterque
Ad ſua tecta graves luctu rediere, nec undæ
Defecere genis, donec miſeratus amaras
Amborum ærumnas nonæ poſt tempora Lunæ
Ipſis Omnipotens alium de ſanguine Natum
Reſtituit, nomen cui Seth, de funere Abelis
Inſtaurare datur pulchra qua ſorte ruinam.
Hic inſons, fiduſq. Deo ſacra vota ferebat,
Legibus intentns naturæ, æquiq. Magiſter,
Sanctorumq. Pater, cujus de fœmore multi
Venerunt nacti virtutum exempla nepotes.
Interea Adamo innumeros ex ordine natos,
Et natas gignens Conjux in ſemine letum
Reddidit huic longo ducentem tempore vitam;
Nongentos triginta annos tranſegit ut Adam,
E vivis (commune malum) conceſſit ad umbras,
Septuaginta dies, ex quo deceſſerat ille,
Præteriere, (a) ſuum cum Sponſa ſecuta Maritum.
Vivit adhuc Cain, tremuloq. in corpore portat
Signa ſui ſceleris, dum vivet & illa manebunt.
Auſter ut hybernis ortus de montibus audet
Arboreas ſylvas motu turbare furenti,

(a) Marian. Scot. Genebrar. genalog.

Ac ſubita orta eſt ramorum diſcordia ramis,
Ictibus alternis ineunt fera prælia ſecum;
Sic quatitur fontis corpus, totumq. movetur.
Pes pede, pulſa manu manus, & caput undique nutat
Nunc hinc, nunc illinc, humero modo tendere dextro
Inſpicitur, lævoq. modo; maris unda videtur
Mobilitate minor: loca circuit omnia, in omni
Ipſe loco, poſcit requiem, non invenit: urgent
Semper fixa ſuæ mala pectore vulnera culpæ;
Nam lateri infixas veluti fert Cerva ſagittas,
It quocumque reus ſecum ſua crimina portat,
Et ſemper ſceleris mens conſcia figitur ictu.
Sæpe miſer latebras petit, & cœca antra, ſed umbræ
Quid proſunt timido, umbrarum namq. ipſa timores
Spectra novos pariunt? Si campos luſtrat apertos,
Unda fluens rivo, aura levis, frons concita vento
Incutit horroremq; pavoremq; inſita menti
Quæq. figura atra eſt, oculus quocumq. vagatur
Signa animis belli, pacem poſcentibus offert.
Ducitur infelix Cain ſic vita per oras
Deſertas orientis, & agros incolit Edem;
Hic ideo primum, ſibi quam copulaverat, Uxor
Progenuit Natum, Genitor quem dixit Henochum.
Cuius amore locans Urbem, cui nomina fecit
Henochiam, muris illam circumdedit altis,
Quæ tuto exciperet membris, animoq. trementem.
Ex Henoch Jrad, Moviael quo cretus, & illo
Mathuſael, cujus venit de ſanguine Lamech,
Prima maritalis violans qui fœdera lecti,
Uxores geminas Sellam ſibi junxit, & Adam.
Ada Jabel genuit primum tentoria in arvis
Dimenſum Paſtorum, & ovilia multa tuentem.
Organa cui Frater pulſans, Cytharæq. Magiſter
Acceſſit Jubal; è Sella Tubalcain ortus

Mal-

Mallei in arte potens, ferri fabricator, & æris.
Fraude ſæpe novas antiquis fraudibus addens
Impius ad nigrum tandem deducitur Orcum
Cain, (a) incertum an Lamech confoſſus ab ictu,
An (b) ſtrue ſaxorum labenti preſſus in aula.
Deterior ſed enim ſoboles imitata parentem
Crimina criminibus cumulat, velut horrida primi
Fluminis horrentis intrant in viſcera, Montis
Vertice deductæ pluviæ, quæ lurida ſecum
Cœna trahunt, calles, & jugera ſordida reddunt.
Inſtituere caſas nullo rerum ordine ductas,
At quibus inſidias fugiant, tueantur & omni
Fraude, per alternos eſt quæ jam concita mores.
Aſt Seth qui fuerant puro de ſanguine creti
Edocti legem, ſanctum, & non temnere Numen
Non abiere vias Cain, ejuſq. Nepotum,
Illis cana fides placuit, pietaſq. parentis;
Inter quos animis, & moribus integer Enos
Prima tenens Domini magnum, & venerabile nomen
Invocat, edocuitq. alios id promere, verum
Relligionis opus, legum ſanctiſſima pandens
Atq. decus morum, ſequitur quem fervidus Enoch
Ex Jared genitus, qui nondum funera ſenſit,
At ſuperi Regis virtute per aera raptus
In ſemota oculis hominum loca tutus abivit.
Ipſius imperio extremas venturus ad horas,
Elia comitante, ut ſævi dogmata Monſtri
Oppugnent. (Antichriſtum dixere Parentes)
Illos infandus crudeli morte Tyrannus
Extinguet Sodoma in magna; percuſſaq. cede
Tres mediumq. diem tumuli ſine honore jacebunt
Corpora, poſt dias inviſere luminis auras
Incipient iterum, & delati ad ydera ſurgent.
Sed cum Terrigenæ ſe propagare per Orbem

F 2 Cœpiſ-

(a) Hier, Ep. 125. ad domas. (b) Cedr, p. 8. apud Cha, Teſ. vet.

Cœpiſſent, genitique Cain de ſtirpe creaſſent
Egregias forma natas, turpiq. decore,
Qui ſanctas fuerant leges, & jura ſequuti,
Has ſibi connubii junxerunt, fœdere, & illo
Accubitu immanes genuerunt mole Gigantes,
Quorum ingens decus, & notum per ſæcula nomen.
Tum vero terras pietas expulſa reliquit,
Invaluere doli, fraudes, vis, ardor habendi,
Inſidiæ, lites, pugnæ, & genus omne malorum.
At Pater Omnipotens, ut ſummo vidit Olympo
In ſcelus omne genus ferri mortale, dolore
Tactus ait: fœda meus haud in ſtirpe manebit
Spiritus, at tantum viginti vivere detur,
Et centum his annos, caro nam ſunt putrida cuncti;
Mox terris ipſos, nec non animantia cuncta
Delebo judex, violatiq. ultor honoris.
Inter tot turbas hominum in ſcelus omne ruentum,
Quiq. ſacris moniti naturæ legibus obſtant,
Solus erat ſancta Sethi de ſtirpe Noemus
Lamecho Genitore ſatus, qui ſpernere vanas
Delicias hominum docuit cum Conjuge natos,
Sem, Chamum, Japhet Patris pia juſſa ſecutos
Cum totidem nuribus leges ſectantibus æquas,
Quem quondam æthereo ſic eſt affatus ab axe
Cœlicolum Rector, Terræq., hominumq. Creator:
Ecce omnem latè complerunt crimina terram,
Aſt Ego cum terra ſuperis queis veſcier auris
Conceſſum eſt, perdam, nec me ſententia vertit.
Fac tibi, ſic jubeo, lignis è lævibus Arcam
Tercentum longam cubitis, triginta cacumen
Erige quam bis terq. decem ſit lata monemus.
Inſtrue in hac parvas, ſtrataſq. bitumine cellas,
Cunctis in ſpeciem lectis animantibus aptas,
Namq. Ego tam grandes emittam nubibus undas,
Totus

Totus in immenſo ut maneat deperditus orbis.
Tu tamen, & Conjux, cum natis, atq. Tuorum,
Natorum Sponſæ, nec non genus omne animantum,
Quæ gaudent vita, incolumes habitabitis arcam.
Deliquere omnes, omnes in Tartara trudam,
Et commune ſcelus communis pœna ſequetur.
Obſtupuit dictis Noe, & tremebundus adorat
Iudicium, menteinq. Dei, monituſq. veretur;
Addidit hęc tantum: carnis tot fœda cupido
Tela trahit, tanto infandi penſantur amores
Pondere, nec norunt homines quæ vulnera figat
Cœcus amor, cœcanſq. omnes ſua caſtra ſequentes.
Nec mora, longum opus aggreditur miro ordinis uſu;
Antiquis exciſſa viri jam plurima ſylvis
Ligna ferunt, cæpitq. manus intendere ad artem
Lamechides, verum non ante imponitur alto
Meta operi, centum quam Sol reparaverit annos;
Sed miſeri, cœciq. homines, qui ligna videbant
Hæc fabricare Senem, tantoq. reducta labore,
De iſu carpunt operas, operumq. Magiſtrum
Sermonis vario fortaſſe hoc ordine fati.
Quid velit iſte Senex? Quæ mens? Quæ machina tantis
Ac tot conſurgit trabibus ſic nexa, repoſtum
Quid manet huic mente? Et cui nam tot copia rerum;
Fertur, ſervaturq. cavi teſtudine ligni?
Hæc, atq. his alia innectunt ignara ſecreti
Turba hominum, quam ſola tenet male ſana voluptas,
Inq. diem tantum vitam quæ ducere novit
Neſcia in interitum lapſura ut decidit unda.
Interea genus omne Avium, genus omne ferarum,
Et quæcumq. ſuas linquunt animantia ſedes
Numinis excita impulſu (mirabile dictu!)
Devenere jugis rapidi montana colentes
Capreoli, Cerviq. leves, timidæq. remotis

Ex ſylvis Damæ, nemorum penetralibus Urſi,
Inde ruunt fulva rugientes pelle Leones,
Hinc Vulpes, & fauce Lupi comitantur hiantes,
Et Lepores vigiles, Feleſq., Caneſq. ſequuntur,
Huc cum Bobus Equi, dociles Pecudumq. catervæ;
Tum varijs volucrum turmis circumdatur aer,
Et cantu reſonat Polus, & crepitantibus alis;
At Noe ſuperi Regis mandata faceſſit.
Deligit ex mundis Septena animantibus Ipſe,
Binaq. de immundis, nec non ſeptena volucrum,
Maſculus, ut numeros, & Fœmina compleat æquos.
Pulchra quidem viſu ſcena eſt, ex ordine longo
Inſtruit ut Noe hanc turbam, mediuſq. reponit
Aptis quæq. locis, et quæ contraria motu
Naturæ fuerant, inſueto fœdere jungit.
Non timet AgnaLupum, Accipitrum non roſtra Columbæ,
Latrantem non Cerva Canem, non Dama Leonem,
Cuncta ſimul vivunt, ac dulci in pace quieſcunt.
Omnibus ingreſſus tutò præſcribitur Arcæ,
Apto cuiq. inſtructa ſuo data cellula victu.
Tum ſeſe atq. ſuos tuti in penetralia tecti
Intulit, articulo jam jam labente diei,
Lamechides hominum turba irridente malorum,
Carcere qui clauſum, ſtipatumq. agmine tanto
Immixto volucrum, brutorumq. ordine cernunt.
Interea obſtruxit teſtudinis axe feneſtram
In medio emenſam, Deus everſurus iniquos.
Velare incipiunt totum jam nubila Cœlum,
Nox atra inſurgit media inter fulgura, Sydus
Apparet nullum, quatiuntur fulmina nimbis,
Machina Cœlorum cœcas aperitur in undas.
Ecce tumeſcentis fundo maris humor ab imo
Horrorem, ſonitumq. ferens exæſtuat; altum
Volvitur, utq. ſuas iratis nubibus undas

Immiſcere velit converſos extulit imbres.
Horrentes animis ſubeunt ſtridore procellæ,
Quin etiam terræ, ſervant quæ ſemen aquarum;
Viſcera panduntur, ruptaſq. è gurgite venas
Et maris, & Cœli commixtis fluctibus addunt.
Quadraginta dies totidemq. ex æthere noctes
Imbres effundunt nubes, confunditur ordo
Rerum, permixtiq. homines, turbæq. ferarum
Tecta petunt, tectiſq. carent; eſt undiq. fluctus.
Hinc illinc homines currunt, tutaſq. requirunt
Sedes; at quiſnam poterit vitare Tonantis
Dextram complentis cunctas formidine terras?
Bruta domos hominum irrumpunt, hominesq. cavernas
Brutorum poſcunt, aſt omnibus unda receſſus
Eripit, & nullam fas eſt ſperare ſalutem.
Si quis procero vitam committere trunco
Audeat, & repat velox, ad ſumma ſequuntur
Elata extemplo, retrahuntq. hunc flumina ſecum.
Culminibus Piſces Ulmorum grandibus hærent,
Jam ſedes fuerant timidis quæ nota columbis;
Quæ montana feris habitacula tuta fuere
Immanes implent fluctus, atq. horrida Ponti
Monſtra colunt, ſedes ſilveſtria bruta relinquunt
Squammigerum turbis, atq. in vada cœca feruntur;
Atq. ſuperjecto ſi natant æquore, mergi
Denique coguntur, vitamq. relinquere in undis.
Arripiunt homines montes, qui vertice Cœlum
Æquant, huc fugiunt, fugientes unda recurſu
Inſequitur, pavidoſq. jugis invadit in altis,
Brutorum, atq. Virum diſperſa cadavera jactans.
Extremis eſt, qui miratur, proximus horis,
Quem riſit veterem Artificem teſtudine tutum,
Natantemq. cavo vitam deducere ligno.
Invidiaq. furens nequidquam ſydera votis

Pulſat,

Pulſat, nequidquam queritur, monituſq., minaſq.
Deſpexiſſe piget, nam qui minitantia luſit
Numina, cum meritis cedunt irata flagellis;
Haud venia eſt dignus; ſic quos ferus uſſerat ignis
(Horrendum!) rapidis omnes periere ſub undis.
Interea fluctus montes ſupereminet omnes,
Quinque ſuper denos cubitis, atq. Arca per æquor
Horriſonum fertur motu ſic ponderis æquo,
Nutet in incertos ut numquam limite curſus.
Poſteritas (ut fama refert) ſe fidere Ponto
Ex veteri ligno, & volucres componere naves,
Edidicit, quamquam Solers ſuperaddidit artem
Multarum, ductæ quæ ſunt ex ordine, rerum.
Iamq. dies centum, decies & quinque migrarunt,
Ex quo regna tenens latum furit æquor in omni
Limite terrarum. Ingenio at faſtoſa (a) recenti
Nec veri, fideiq. tenax, nova dogmata jactans
Mens hominum, latis non totum fluctibus Orbem
Edocet everſum; Cur nam Deus ergo parari
Tam vaſtam tanto juſſit molimine navim,
Cum pia Lamechi proles, cunctiq. Nepotes
Omniaq. ad tutas tranſire animalia ſedes
Poſſent? nec cubitis tot ad alta cacumina fluctus
Elati, ſummiſq. ſtetiſſent montibus undæ,
Ni data libertas totas invadere terras;
Vaniloqua inventrix humana ſuperbia ſacris
Sic obſtat chartis: validum jam flamine ventus
Et redeuntis aquæ, & motum detorſit euntis,
Diminuitq. undas, alia aut in ſede locavit.
Lunæ jam ſeptem decurrerat orbita menſes,
Opperiere feris ex quo tot flumina campos
Fluctibus, atq. Arcam tuto quocumq. ferebant,
Donec in Armeniæ conſedit montibus altis,
Hæc inter ventis æquus quibus Ultor habenas

Im-

(a) Iſa. Perey., & Iſacus Voſſius apud Calm. l. 1. c. 2. Gen.

Immiſit, vires paulatim perdidit unda,
Et decimo apparent montana cacumina menſe;
Quadraginta dies Noe ſed in Arce moratus
In terram inſtituit nigrum demittere Corvum,
Aſt hic egrediens numquam ſua tecta reviſit,
Poſt ubi non remeat, dimiſit ab Arce Columbam,
Neſcia at illa locum pedibus quem tuta teneret,
Alis continuo expanſis volitavit ad Arcam.
Terq., quaterq. Aurora polo dimoverat umbras,
Cum dedit annoſus Cuſtos nova juſſa Columbæ,
Viſeret ut terras; regreſſa virentis olivæ
Ore tulit ramum ſeris jam veſperis horis.
At Noe hanc ſeptem rurſum poſt luminis ortus
Emiſit: numquam reditura hæc fugit ab Illo.
Tum Deus, egredere ex Arca cum Conjuge, dixit,
Tu; Natiq. tui, ſponſis comitantibus ipſos,
Et pecudum genus, atq. feræ, pictæq. volueres,
Creſcite, & ingentem late, quæ compleat Orbem,
Et genus antiquum reparet, producite prolem.
Sicut apes, ubi clara dies, alvearia ceras
Mellaq. quæſturæ, linquunt, perq. arva vagantur,
Hac parte, atq. alia, diviſis undiq. turmis;
Haud aliter varias animantia, carcere rupto,
Corripuere vias, pars verrunt aera pennis;
Æquis pars gradibus properis pars ſaltibus errant,
Quæq. locum repetunt, ſua quem natura tenebat.
At Lamech ſoboles doni memor extruit aras,
Et mundas volucres, nec non animantia munda
Aris imponit Supplex: incenſa crematur
Victima, quæ miro Cœlos afflavit odore,
Diviniſq. tulit fragrantes naribus auras.
His Deus illectus Sacris, ex nubibus Arcum
Immiſit mediis (Irin dixere Prophani,
Feceruntq. Deam) ac Cœlo ſic fatur ab alto.

Haud equidem genus omne hominum, genus omne ani-
Percutiam poſthac, nam primis fertur ab annis (mantum
In mala cæcus homo, lapſiq. in pectore ſenſus;
Interris igitur, quas vos habitabitis, errans
Noxq., dieſq., æſtas, & hijems, & frigus, & æſtus
Et ſatio, & meſſis nullos requieſcet in annos.
Reddite multiplici foecundam germine terram;
Et tremor, ac terror quæcumq. animantia veſter
Contineat, volueres, viventia cunctaq. veſtro
Subjicite imperio verrenteſque æquora piſces.
Quod vivit vobis, vobis quodcumque movetur
Fercula grata paret, verum cum ſanguine nemo
Audeat eſuriens ventri concedere carnem,
Namq. horum Ultor ero; humanum qui forte cruorem
Fuderit, illius tingetur ſanguine tellus;
Cum noſtram referant homines in imagine formam.
Ecce Ego vobiſcum ſtatuam irrevocabile pactum:
Haud ultra totus mergetur fluctibus orbis,
Fæderis æterni varius, quem cernitis, arcus
Teſtis erit; magnum hunc ſtatuam ſuper æthera, &
Nubila cum retegant ſævos minitantia nimbos, (axem
Inſpiciens arcum, fædus memorabo vetuſtum;
Hæc inquit Deus, atq. altis ſe reddidit aſtris;
At Noe ſeclis ſervanda arbuſta futuris
Conſerere, & vacuæ committere ſemina terræ,
Et longos tauris cæpit deducere ſulcos.
Agricolaſq. rudes docuit non ante repertas
Agrorum fruticumq. artes, diſponere vites,
Et gratum preſſis ex uvis ducere muſtum.
Quem vinum dixere Patres; aſt illud ut hauſit,
Inſcius Inventor didicit cognoſcere vires
Ipſius, ut mentem, calefactaq. pectora turbet.
Poſt varios cyathos, iterataq. pocula, tandem
Incepit ſenſus vini vis intima læti:

Per-

Perturbare Senis, cerebroq. emittere fumum,
Jamq. ſuos nutare pedes, linquemq. reſolvi
In varios, dubioſque ſonas, oculeſq. gravari
Senſit Lamechides, donec ſua membra ſopore
Capta tabernaclo exponit nudata patenti.
Tum victa in longum ſolvuntur lumina ſomnum,
Qui laſſis motus aſſuetos artubus aufert.
Forte Ipſum nulla contectum veſte jacentem
Vidit, & irriſit petulans Cham, fratribus inde
Iapheto, & Semo patrios enunciat æſtus,
Invitatq. ambos nudatum corpore toto,
Viſere & annoſum ſecum irridere Parentem
Ingenti immerſum ſomno, vinoq. gravatum.
Verum illos tanti tetigit reverentia Patris,
Ut dicta accepere Chami, nudata nec auſi
Membra videre ſenis, ſanctoq. horrore trementes
Pallia longa humeris pandunt, atq. inde retrorſum,
Ne videant, gradiuntur, honos ita redditus illi,
Quem ſuper averſi labentia linea linquunt,
Ac niſi contectum, non conſpexere Parentem.
Amiſere ſuas cum vina furentia vires,
Tantaq. cum ſomno eſtincta eſt, digeſtaq. moles,
Ille oculos aperit tumidos, ſenſimque cerebro
Veraces redeunt formæ, quas ſomnia longo
Infecere mero multis variata figuris;
Cumque audit quam turpe nefas committere Chamus
Irriſor potuit, juſta correptus ab ira
Infremit, ac tanti ulturum ſe criminis auſum
Teſtatur, raptumq. ſenis Genitoris honorem,
Atque ſuæ natum laturum premia culpæ.
Dixerat in nato Chanaan maledixit, ut olim
Servitium fratrum, mandataq. dura ſubiret.
Innocuis Japhet, & Semum benedixit, & omnes
Sæcla per alta ſuos illorum ex ſtirpe nepotes.

Sic vini miſeros ignota potentia caſus
Protulit. At quamquam ſint qui infortunia noſcant,
Attamen ebrietas (nullum qua pejus in omni
Cernitur Orbe malum) vires acquirit iniquas.
Vos prohibete mero pueri, ſanctumq. timorem,
Et decus in ſacros, qui vos genuere, Parentes,
Diſcite, ne incautos Chami vos fata ſequantur.
Interea puras quos Noe in luminis oras
Eduxit, genuere viros per ſæcula multos.
Ex Japhet Gomer, & Magog, Madaiq., Javanq.,
Et Thubal, & Moſoch, & Thiras ſanguine cretus;
At Gomer a genere Aſcenez, Riphat, atq. Thogorma.
Dat Javan Eliſam, & Tharſim, Cethim, atq. Dodanim.
Hi propria vaſtas regiones ſtirpe creatis,
Quas, Gentes, tenuere aut linguam, aut jura ſequentes
Partiti, varijs fecerunt nomina terris.
Cimmerii a Gomer, & Gomeri, quos nomina Cimbros
Turba vocat veterum dicuntur origine nati
Meſagetæq., Getæq., Scythæ & quos Tartarus Orbis
Enumerat populos, Magog novere parentem,
Ex Madai nati Mediam dixere Coloni,
Gens antiqua Javan genitos memoravit Jones.
Thubal Ibericæ prognatæ a ſemine gentes
Hiſpaniam, Euxiniq. colunt quæ littora Ponti.
Moſcovitarum pubes ab origine Moſoch;
Ex Thiras venere Thraces; Germania fortis
Aſcenez magnum celebrat, jactatq. Parentem,
Namq. Hebreorum Askenez ea dicitur ore.
Paphlagones Riphat, Turcaſq. Thegorma creavit.
Nos Itali Eliſa, (quas fortunæ inſula partes
Eliſias dixit) longis devenimus annis.
Tharſis Tharſenſes, Citrios quoſq. educat alma
Cyprus, Curetiſq. potens Cethim, atq. Dodanim
Inſtituit Rhodios pelago pugnare peritos.

Cha-

Chamus, Mezraim, Phuth, Chanaumq. potentem
Procreat, Ethiopes nigri de ſanguine Chuſis
Exorti, Œgyptiq. plagas coluere nepotes
Mizraim, Lybies, Mauritaniq. cruenti
A Phut non paruum, quamquam loca inhoſpita, Re-
Traxerunt, Chanaancorum gens Sueta rapinis, (gnum
Et genus antiquo a Chanaan, & nomina ſumpſit.
Chus, Saba, dein Stevila, nec non cum Sabatha Regma,
Sabatachaque edit, atque alacrem in fera prælia Nem-
Primus qui Regni populis immiſit habenas. (brod.
Illius Imperium Babilon, Achada, Chalanne
Senſit, & his Aſſur proles Semeja ab arvis
E grediens, Ninivem ingentem, Chalenq. ſuperbam,
Haſq. inter magnam fundavit nomine Roſen.
Sabatacha Armenios, gemmis auroq. coruſcos,
Panchers Regma, Sabatheos Sabbatha gignit.
Africa Getulis Hevilæ de germine ductis
Deſertas, cæcaſq. dedit nullo ordine ſedes,
Inde animis tot bella homines didicere feroces
Fraudibus experti, faciles & fallere verbis,
Et ſacram violare fidem: Saba nomina ſævis
Fecit Abyſſinis. Mox Dodan, Sabaq. Regma
Progenerat Dodan, qui Palmirenia rura
Exercent, populos, Saba gratos thure Sabeos;
Mizraim Ludim Anamin in Laabimq: Nephtuim,
Petruſſim Chasluimq. parit; variæ ordine gentes
Hinc ortæ; ex Ludim Lidi non attamen illi
Pondere quos fulvi Cræſus ditiſſimus auri
Subdidit imperio, ſed, qui tenuere propinquas
Ægypto terras: Nephtuim dat fama Numidas
Phetuſimq. Arabes ductos a ſtirpe petræos.
Atq. Pholiſteos Chasluim populoſq. Cyrenis.
Protulit innumeros Chanaan primumq. Sidonem
Ex quo Urbs infandi inventrix Sidonia luxus.

Hem-

Hetheum Jebuſeum genus, Amorrheum,
Et Gergeſeos Heveos, atq. Araceos
Sineos Aradeos, nec non Samareos,
Atque Amatheos ex his ſua ſemina novit
Protendens late fines Chananea propago,
Nam Gazam attingent Sodomam, Scobimq. Adamamq.
Gommorrham, & Leſam binos quæ fertilis inter
Structa lacus, & cui rubrum mare fluctibus hæret,
Si Geraram clara venias Sidonis ab Urbe
Tu quoq. Noachidum fortunatiſſima Seme
Elam, atq. Aſſur, & Arphaxad Lud gignis, & Aram.
Inde Clamitæ, atq. Aſſirij, Chaldeaq. proles,
Et Cræti fato noti uſque ad Sydera Lidi,
Et qui felices campos, quos irrigat undis
Tigris, & Euphrates curvis perrumpit aratris.
Us, & Hul & Gether, & Mes Aræ ſemina creti
Arphaxadq. ſalem genuit, cui filius Heber;
Ex hoc an linguam Hebrei, & ſua nomina primo,
An forte ex Abraham cum juſſa ſuprema ſecutus
Trajecta Euphratis ripa conceſſit in agros,
Quos populi Chanaan nati genitore ſerebant,
Accipiant, veterum multa eſt diſcordia Patrum.
Mox binis Heber gaviſus nomina gnatis
Impoſuit Phaleg (nam dum vitalibus auris
Paſcitur hic populus in certas dividat oras
Omnipotens Rector) Jectanq., aſt ultimus, auxit
Natorum numerum: fæcundo ex germine ſurgunt
Elmodad, atq. Saleph, & Aſarmoth, Jare, & Aduram
His Uzal, & Decla Ebal Abimulq., Sabamque
Atq. Ophir atq. Hevilam, nec non ſimul additur Jobab.
Qui Meſopotamiæ tractus, & Perſica ſervant
Jugera, & Indorum confines Coaq. Regna,
Progenuere alios hi longa ex ſtirpe nepotes.
Quos numerans fulvas ponti numerabit arenas.

Ergo

Ergo cum parvis tot vitam ducere terris
Haud poſſint homines, alias inquirere ſedes
Urgentur, tamen ante ſuos quam linquere fines
Auderent, Cœloſq. novos inviſere, & oras,
Conſilium indixere homines, ſed inane, ſuperbum,
Difficile; at quid non humana ſuperbia tentat?
Conſtruere inſtituunt Turrim, quæ nubila tangat
Immo, ſi valeant, aſcendat culmine ad aſtra.
Omnia noſter honos fiet per ſæcula notus,
Et famam, nomenq. aſtris ſublime feremus.
Inſurgunt operi, ac veluti quo tempore ſolis
Ferveſcunt radii, formicæ nex ordine currunt.
Sæpe catervatim, poſt ſejunguntur, & inde
In turbam redeunt; aliæ ſua ſemina in ore
Erecta cervice ferunt, aliæq. trahendo
Pondera nituntur, pars auxiliatur, & illis
Jam feſſis onere, & ſunt, parva foramina circum
Quæ vigilant, remeantq. vias, quo turba recurrit,
Exonerant, quæ mole graves & ad arva remittunt;
Continuus, fervenſq. diu labor occupat omnes.
Hic ita camporum diſperſæ jugera complent
Innumere gentes; aliæ diſcindere Sylvas,
Atq. ſecare trabes, paleis componere glebas
Inſtituunt aliæ, laterum hæ fornacibus inſtant;
Fundamenta cavant iſti, pars mænia ponit,
Artifices operi incumbunt; diverſa jubentur,
Ac tanto vix juſſa valent diſcrimine rerum
Audiri, incipiuntq. altas extollere moles;
Pro ſaxis tegulæ ſunt, cæmentoq. bitumen
Sufficitur, veteres olim quo fortiter uſi.
Sennaar in campo latas Orientis ad oras
Tigridis in ripis opus hoc jam fervet, & urgent
Qui præſunt tardos pœnis, atq. addere molem
Et moli, molemq. ſuper, ſuperaddere tentat

Turba-

Turba ſuperborum: Nembrod quos maximus inter
Urget opus, famamq. ſuam, nomenq. celebrat.
Ut Turrim, artificeſq. operis conſpexit ab alto
Omnipotens Genitor veluti ſemotus ab illis
Hæc ajt: In terras mens eſt deſcendere Nobis.
Viſum quid faciant Homines tot molibus auſi
Atq. ſuperborum mentes avertere cœptis.
Unicus eſt populus, labiumq. eſt omnibus unum;
Immutare ſonum juvat, & confundere linguam,
Atq. alium ex alio in varias diſpergere partes.
Dixit; & extemplo communem amittere ſermo
Incæpit ſenſum, vocumq. audire novarum
Quiſq. ſonum; rerumq. ſimul confunditur ordo.
O mirum auditu! ſpatio vix temporis uno
Os diverſum, diſſimilis modulamina linguæ,
Aſperum, & hoc guttur, dulce hoc, mediumq. ſonabat
Hinc aliud, captu mentes falluntur, & aures.
Hi panem poſcunt, fertur poſcentibus unda,
Ille undas petit, & terra eſt oblata, roganti
Cæmenta, & lateres, epulæ redduntur, ubique
Confuſæ voces hominum, & diſcordia rerum
Audires: (1) *Pannag*, (2) *Therian*, (3) *Neehilotque*,
(4) *Meniſcos*,
(5) *Bad Sebech*, (6) *Haſchinachim*, (7) *Melach*,
(8) *Sacamamba*, (9) *Chalazim*,
(10) *Iardidim*, (11) *Rocher*, (12) *Phat*, (13) *Scaveſſelein*,
(14) *Hexeh*
(15) *Fleiſch*, (16) *Sprevver*, (17) *Rhizam*, (18) *Caloſto ma*,
(19) *Troximon*; (20) *Abrech*, Deu-

---

(1) *Balſamum*, (2) *Feras*, (3) *Choreas*, (4) *Armillas*, (5) *Varias veſtes*, (6) *Arbores*, (7) *Sal*, (8) *Genus manna*,)9) *Femoralia* (10) *Ornamentum muliebre*, (11) *Saxum* (12) *Panem*, (13) *Bitumen* (14) *Legumen*, (15) *Carnem*, (16) *Paleam*, (17) *radicem*, (18) *Vitium pronunciandi*, (19) *Vvam*, (20) *Vocem iubilantium*.

(21) *Beuſchim*, (22), *Fiſch*, (23) *Chctem*, (24) *Mageramata*, (25) *Aporia*, (26) *Chamar*.

Ut ſi quis Sylvis errans per nubila noctis
Triſtes aure ſonos audit, voceſq. ferarum
Accipit, attonitus ſtupet, & cognoſcere vocem
Inter tot vocum fremitus, ſtrepitumq. ululantum
Non valet: haud alio Babilones ore loquntur.
(Talia namq. ipſis confuſio nomina fecit.)
Propterea notas coguntur linquere ſedes,
Atq. alias terras, alios cognoſcere Cœlos;
Hinc populi noto, atq. ignoto nomine multi.
Diſcordes animos, diverſaq. jura per orbem
Intulit, & mores varios diſſenſio vocum,
Fallaceſq. Deos, ſibi quot natura putabat
Eſſe neceſſarios, & rerum, & corporis uſu.
Defuit æterno cultus pia cura Tonanti,
Relligioq. hominum paucis intacta manebat,
Et genus hinc veterum diſcretum lege ſacrorum
Exortum; impletæq. Diis Sculptilibus Aræ;
Militiamq. poli, lunam, ſolemq. colebant.
Aſt alias inter venerantes cæca Deorum
Numina vel ligno, aut ſaxo, vel ſculpta metallo,
Urbs fuit, Vr dixere Patres, quæ ſpectat ad oras
Chaldaicas, in qua Thare de ſanguine cretus
Abramus vixit, centum de millibus unus
Vera ſequens, ſummiq. Dei Sacra juſſa faceſſens,
Omnibus adverſus vanas venerantibus aras.
Thare Abraham interea natum, Lotumq. nepotem
Ex Aran genitum mortis jam ſpicula paſſo,
Hos comitante Nuru Sarai, deduxit ab Urbe
Caldaica, Chanaamq. petens, devenerat Haran,
Hic duxere moras, donec defeſſus ab annis

(21) *Fructum*, (22) *Piſcem*, (23) *Aurum*, (24) *Fercula* (25) *Pulverem*, (26) *Vinum rubrum*.

Quinque, & bis centum, ſolvit ſua tempora Thare.
Tum poſt longævi Genitoris funus Abramum
Sic Deus alloquitur. Patriamq., domumq. relinque,
Affineſq. tuos, alioſq. inquire receſſus,
Quos Tibi de ſuperis oſtendam ſedibus Ipſe.
(Cætibus a ſontum Omnipotens ſic dividit æquos,
Nam malè conveniunt, nec in una ſede morantur
Et ſcelus, & pietas, ſancta, & cum gente prophani.)
Thariades ſtupuit dictis, auditq. ſequentem
Mira loqui; magnas educam è ſemine gentes
Ipſe tuo, Cœli ſuperent quæ ſydera, & alti
Oceani guttas; tua laus, nomenq. manebunt,
Dum benedicentur gentes in ſtirpe tuorum.
Ille igitur celer. ac humilis ſacra juſſa ſecutus
Caſtra, Syris addicta locis, Chananea petivit;
Quæ ſimul inviſit, populos a lege remotos,
Oblitoſq. Deum verum cognoſcere Numen.
Edocuit, rituſq. ſacros, moreſq. verendos.
Attigit inde locum, veteres cui nomina Sichem
Impoſuere Patres, poſtquam regnaverat Hemor,
E natiq. ſui cognomine dixerat Urbem.
Illuſtri Arva ſenem Convalli proxima euntem
His Deus affatur: quæ circum lumine cernis
Cuncta tibi, generiq. tuo concedere noſtra
Mens eſt, in Dominum pietatis præmia veſtrum:
Flectitur ille genu, ſacratas erigit aras
Numini, & his ſupplex ſanctos imponit honores.
Hinc iter ad Bethel converſum Orientis ad oras
Carpit ovans, ubi prima ſolo tentoria fixit,
Conſtruit hic etiam duris altaria ſaxis;
His tamen haud longo conceſſum ſiſtere terris
Tempore, namque fames Chanaan abſcedere ab arvis
Egyptiq., ſinus Cereris, Bacchiq. feraces
Cogit adire Abram, eſurie ne deſerat auras.

Sed-

Sed, prius ingentes, quam progrediatur in Urbes,
Hæc Sarai magno perculſus corda timore:
Heu Mulier, Tu pulchra nimis, magniq. decoris
Multorum allicies oculos, & vulnera figes;
Me miſerum forſan deducent mortis ad umbras,
Teq. dabunt thalamis alieno fœdere tutam.
Affer opem mihi, connubium tædaſq. jugales
Nè prodas; Fratrem tibi me dic, teq. Sororem,
Inde ſalus mihi certa, tuo ſic munere vivam.
Urbes ut tetigit Mulier pulcherrima viſu,
Centum oculos taciti defigunt, oraq. centum,
Eximiam celebrant formam, aſpectumq. decorum.
Aurea purpureo capitis de vertice nexu
Pendens cæſaries æquatur laudibus aſtris.
Pars oculos nigra mirantur luce nitentes,
Æquo compoſitas, directaſq. ordine nares;
Multi lacte genas, velutiq. è ſanguine mixtas,
Oſq. canunt roſeum, niveoq. ex ebore dentes.
Extollunt alij dimenſas motibus æqua
Lance manus, digitoſq., pari qui limite inherent,
Inceſſumq; gravem, totamq. in pondere molem.
Fama autem Pharaonis adit velocior aures,
Qui ſpecie tactus nulla hanc vi juſſit ad Aulam
Deduci, ignaruſq. parat ſibi jungere Nuptam.
Quam varios caſus, quam magna pericula ſæpe
Paſſa fuit præſtans inſigni fœmina vultu!
Sed noſtra formam plerumq. ætate puellæ
Oſtentare ſolent, & ſi natura negavit
Forte venuſtatem, fuci medicamine quærunt,
Quamquam noſtrorum exemplis, veterumq. monentur.
Sic Sara ſublata eſt, & in alta palatia fertur,
Atq. hanc ſe Pharao thalamis diſponere iniquis
Regni more jubet; per plures corpora menſes;
Nam Sponſæ tingunt olei, unguentiq. liquore

Sæpe, & aromatibus tergunt, & floribus artus,
Ante toro Regis quam ſe componere poſſint,
Aſt Abrami blandi hoſpitio excipiuntq., foventque.
Interea Omnipotens Regem, populumq. flagello,
Percutit horribili, aut peſte, aut quod deficit omne
Paulatim vulgus non noti vulnere morbi.
Aut Deus uxorum ſterilem tunc reddidit alvum.
Multi multa ferunt: Tunc æqua territus ira
Numinis excelſi Abramum Rex evocat, atque
Acribus increpitat dictis, ſponſamque Marito
Reddidit intactam, Ægyptiq. excedere terra
Imperat, atq. viæ fidos comiteſq., duceſque
Addidit: hi Chanaan repetunt, Bethelq. reviſunt.
Progenie interea Lotus prognatus eadem
Abrami Comes, & fœcundo dives ovili
Se ſe alios tulit in campos, ſic juſſit Abramus.
Nam pecudum miſcent cuſtodes jurgia ſecum.
O terrenarum ingluvies turpiſſima rerum
Dividis a fratrum dulci quæ fœdere fratres!
Ergo quos lenis Jordanes irrigat agros
Vidit, & elegit placidis Lot credulus undis,
Planitie illectus quæ vidit pinguibus herbis,
Hic velut æterni dominentur tempora veris.
Omnia quæ capiunt oculos non optima ſemper,
Sæpe animos mulcere ſolent, & fallere viſu.
Ut procul a chari duxit ſe limite Fratris
Pinguia gaviſus gregibus dare paſcua Lotus,
Infandis Sodomam fœdatam moribus Urbem
Naturæq. genus contemnens jura foventem
Incolit. Interea Pater his affatur Abramum
Omnipotens: attolle oculos, circumſpice quidquid
Hic ſævi vergit gelidas Aquilonis ad oras,
Atq. ubi ſe medio ſol torquet limine currens,
Exoriturq. dies, & quo ſe proripit undis,

Et

Et Chanaan terram longè, latèq. peragra;
Hæc tibi Regna, tuæq. æterno tempore Genti
Largiar inde tua exoriens de ſtirpè propago
Pulvereas athomos, ſterileſq. æquabit arenas.
Caſtra movens Abraham ſubito Convallis ad agros
Mambre venit, Dominoq. ſacratas erigit aras.
Hæc inter quatuor pacti qui fœdera Reges,
Amraphel, Urbs paret cui Sennaar inclyta turri,
Arioch Rex Ponti, quam dicunt Ellaſar Arcem,
Rex Elamitarum Chodorlahomor, Thadalque,
Goim qui Princeps, armis venere parati
In Reges Sodomæ Baram, Berſamq. Gomorrhæ,
Sennabq, imperio, cujus gens ſervit Adamæ,
Et Semeber Seboim, Regemq. Balæ irruit omnis
Turba prius Raphaim, confregit in Aſtareth illum;
Poſtea Chorȩos Sehir in montibus altis;
Inde ruère omnes ad pinguis jugera Pharan,
Converſiq. feri ad fontem multo agmine Miſphat,
Ferro Amalecitas, Amorrhæoſq. domarunt.
Rex Sodomæ armorum ſtrepitus ut ſenſit obortos,
Regi Elamítarum nollet quí ferre tributum,
Bis ſenos illi pactum quod ſolverat annos,
Rumpere, cum quatuor fœdus qui Regibus auſi,
Arma acuens inſurgit ovans, & prælia tentat.
Agmina in adverſo ſiſtunt jam limite Regum,
Et pugnæ expectant hoſtilia in agmina ſignum,
Accipiunt ut juſſa Ducum, clangorq. tubarum
Undique ut auditus, miſcent clamoribus auras,
Atq. atrox tandem bellum committitur agro
Vallis in exremo Sylveſtris, & ardua vertunt
Arma fero quinque in quatuor diſcrimine Reges.
Illi ſollicitant animos, hi corda ſuorum
Urgent voce graves, ac dat præſentia vires,
Eminus utuntur telis, & cominus haſtis

Pro-

Proximi, & inſigunt gladios; hi molibus altos;
Evertunt currus, dejectaq. turba ſub imis
Conteritur non parva rotis, atq. ungula equorum.
Inde Sagittarum morientes turbine fixi
Sternuntur terris alii, pars finditur enſe,
Atq. hinc, atq. illinc capita, atq. è corpore paſſim
Brachia trunca vides, & crura, pedeſq. manuſque,
Sciſſa, & fœda luto vexilla, tubæq. refractæ,
Tympana fracta jacent, & ſparſa cadavera campis;
Hic hominum horrida equos, homines hic corpora equo-
Lapſa premunt, mixtoq. fluunt è ſanguine rivi. (rum.
Victores, victoſq. ſimul confundit amarus
Uulnere cæſorum dolor, & morientum ad aures
Languida vox hominum, & terror, ſtrepituſq. furentum.
Arriſit tandem melior fortuna potenti
Regi Elamitarum, & ſociis ſua caſtra ſecutis.
Nam fracti bello greſſus Sodomæ, atq. Gomorrhæ
Præcipites fuſo verterunt agmine Reges.
Hoſtis ut in campo tutum ſe vidit aperto,
Omnia devaſtans, prædam ut raptaret opimam,
Incidit in Lotum, & pueros armenta tuentes,
Inde & in Uxorem, & natas, quos arripit omnes
Cum pecudum turba, & victor remeabat ad Urbem.
Hæc Sodomæ paſſi Cives; nam temnere leges
Conſuevere Dei, Sanctum, & violare decorem.
Principium hoc iræ tantum, quem concita tandem
Æterna oſtendet Majeſtas læſa furorem?
Lot reus haud fuerat, luſtrans ſed tecta reorum,
Quæ cœlo inviſi, patitur diſcrimina belli.
Sic Deus omnipotens fugiant ne vulnera iniqui,
Torquet in innocuos, qui illorum ſedibus audent
Vivere in infandis, iratæ ſpicula dextræ.
Triſte bono ſtipare malum, & ſe jungere tectis.
Hæc, Abraham, ut ſenſit pius infortunia fratris,
Indo-

Indoluit, cæpitq. ſuos diſponere ſervos
Militiæ in morem, ac Regem ſpolia ampla trahentem
Inſequitur, cæca molitus prælia nocte,
Dan iter arripuit Pardo velocior, iræ
Juſtis excitus ſtimulis, atq. agmina Regis
Extemplo aggreſſus tuto ad ſua tecta migrantis,
Terruit, invaſit, cæditq., fugatq. per agros.
Pugnator ſimul, & victor, defenſor, & ultor.
Thariadi interea, partis ex hoſte triumphis
Melchiſedech ſacra redimitus tempora mitra
Egreſſus Salem (Salem namq. imperat Urbi)
Obvius it, belliq. æterno a Numine palmam
Noſcens, huic humilis, panem, vinumq. litavit
Inſuetum, aſt arcana novis myſteria ſacris
Temporibus quondam exactis referanda teguntur,
Venerit ille aſtris tandem ut demiſſus ab altis
Ordine Melchiſedech per ſæcula cuncta Sacerdos,
Cujus vera omnes præſentia diluet umbras.
His ita compoſitis; Abraham ſermone ſuperni
Numinis accitus ſuperis hos accipit oris
Aure ſonos: Tua ſum merces, nunc mitte timorem,
Namq. ego te tueor, cui dicta hæc reddidit annis
Longævus: miſeri quæ merces? ecce reſolvar
Communem in cinerem; progniatum ex conjuge nullum
Rellinquens, rerum qui gaudeat eſſe mearum
Hæres, & Dominus, ſed ovilia noſtra manebunt
Hunc apud Eljezerum, noſtris qui præſidet arvis,
Et rerum quem cura tenet; Deus addidit: Hæres
Non erit hic tuus; aſt alium de ſanguine cretum
Ipſe tuo inſtituam Naturæ Rector, & Author.
Tolle oculos, ſurſum ſpatioſum ſuſpice cœlum,
Et ſtellas numera, ſi fas, ſic germine ſemen
Multiplicare tuum gentes per ſecla videbunt,
Atq. ego Chaldaica te jam miſeratus ab Urbe

Eripui ut Dominus fieres, atq. incola terræ
Quam colis: Ille addit: qua me ratione feracis
Hæredem terræ agnoſcam Dominumq. futurum?
Hæc contra Omnipotens: jubeam, quæ mente reponas.
Sume mihi Arietem, Vaccam, Capramq. triennem,
Turturem & innocuam, & niveam candore Columbam,
Mox tulit hæc Abraham, diviſaq. tergora eorum
Se contra poſuit, partes & partibus æquat,
Ac medio ſpatium, via qua ſit lata, reliquit;
Verum non avium ferro pars finditur ulla.
Convenere, ſuper dejecta cadavera fultæ
E' Cælo volucres circum ſtridentibus alis
Eſcarum cupidæ, quas pellere nititur Abram,
Aſt illæ effugiunt., redeuntq. ad paſcua, raptu
Vivere nam ſuetę, importunaq. turba volatu
Nunc reſecare polum inſpicitur, nunc radere terras,
Carpere dumq. cibum roſtris, atq. unguibus inſtat,
Membra Senex curſu, & vocem clamore fatigat,
Donec ſublimi de monte cadentibus umbris
Sudore aſperſus frontem, feſſuſq. labore
Mortua pone, Deo ſacrataq. corpora terris
Somno correptus dulci cum pace quievit.
Ut ſopor invaſit multus, per ſomnia voces
Accipit, has: quamquam tua quondam hæc Regna tenebit
Progenies, procul hinc peregrinam ducere vitam
Cogetur, populiq. immitis barbara ferre
Juſſa, nec ante ſua poterit requieſcere terra,
Quam quatuor longum complerint ſæcula curſum,
At tandem populus, longo qui ſæviet aſtu
In genus omne tuum, dignas cum ſanguine pœnas
Perſolvet, duraq. Tui egredientur ab æde,
Argentoq., auroq. graves, ſpoliiſq. nepotes.
Ipſe, ſenectutis cum tempora duxeris æquæ,
Cum Patribus pia fata tuis in pace ſubibis

Mox

Mox ubi conſurget generatio quarta Tuorum,
Longum iter aggreſſi, magno, & diſcrimine ad arva
Iſta revertentur, pingui & ſuccedere terræ
His dabitur. Demum cum ſol occumberet undis,
Noxq. omnes fulta tegeret caligine terras,
Divinam ſequitur vocem ſub imagine viſus:
Mira quidem dictu! qua ſemita aperta, videtur
Diviſas inter carnes excurrere fumans
Clibanus, atq. ignis lampas ſplendore coruſca;
Cum ſene tunc pepigit Deus irrevocabile fœdus:
Hanc, in qua ſomnum carpis, concedere terram
Polliceor tibi, venturiſq. nepotibus omnem
A Fluvio Ægypti rapidas Euphratis ad undas,
Innumeraſq. ſua gentes ditione tenebunt;
Hinc Arabes, à Cin qui devenere vetuſto,
Atq. Cenezæos, Cedmonæoſq. rapaces,
Quos Heth progenuit, nomenq. habuere paternum,
Subicient. Pherezæos, qui loca plurima norunt
Diſperſiq. manent, variaq. in Sede morantur;
Et Raphaim immanes, Cananæorumq. nepotes
Imperio adjicient; Amorrhæoſq. potentes;
Et quos Gergæſus, Jebuſq. dedere prophanos.
His fœdus clauſit rerum ſermonibus Author.
Interea vitam in luctu, lacrymiſq. trahebat
Thariadis Conjux, nullum nam pignus ad auras
Ediderat, multoſq. ætate expleverat annos,
Spemq. illi generis connubia longa futuri
Abſtulerant, ætas hoc & natura negabant;
Propterea Hæc Abrahæ famulam, quæ dicitur Agar,
Adiunxit Thalamo, prolis quæ ſigna futuræ
Oſtentans oculis gaviſa eſt pondere ventris;
Ait (ut ſæpe ſolent) eventibus orta ſecundis
Plurima ſentimus diſcrimina; ſorte ſuperbos
Fert animos Agar, Dominamq. invadere verbis

I In

Incæpit duris, ſterilemq. illudere vitam;
Hinc ortæ lites, concordia ab ædibus omnis
Effugit, duroſq. animos effecerat ira,
Cum ſterili fœcunda dies quia ducere lætos
Nulla poteſt, cum faſtus, invidiæq. dolores
Regna petunt, & numquam adverſo more cohærent.
Sara animum turbata probris, quod corde fovebat
Tharidi pandit vulnus, convicia narrans,
Jacta in ſe è famulæ nimio, quo extollitur, auſu.
Ex quo mœſta inquit, tumidam ſe conſpicit alvo,
Grande ſupercilium, ſpretumq. ſonantia verba
Illi, & faſtus ineſt, quid aget cum creverit audax
Ipſi animus, parietq. tuo de ſanguine prolem?
Iamq. illam me ferre ſatis: ſuſpiria ab imo
Pectore mille ſimul ducit, lacrymæq. volentem
Plura loqui impediunt, raucis vox faucibus hæſit.
Attonito id volvens animo reſponſa dolenti
Reddidit hæc Abraham: tibi ſit quæcumq. poteſtas
Ut Dominæ in famulam, quovis ac utere jure.
Protinus imperium, majeſtatemq. ſeveram
Induit ore Sara, & tumidam dominatur in Agar.
Utris ut illato corpus quod flamine turget,
Et latera extendit, tactum, aſperſumq. pruinis,
Qua prius inflatum, tenuem cum perdidit auram,
Deficiens crepuit, jacuitq. ignobile terris:
Sic Agar Saræ imperio ſubiecta jubentem
Flagrantemq, oculis, altaq. ut voce tonantem
Senſit, mæſta caput demiſit, & edita cervix
Flexa, cavo exortas oſtentat pectore curas,
Experienſq. graves Dominæ, inſuetoſq. rigores,
Et graviora timens inviſam deſerit aulam.
Territa, conſilioq. carens loca inhoſpita circum
Luſtrat, & ad fontem (campos, deſertaq. Suris
Qua via longa docet). ſedit, curaſq. revoluit.

Ange-

Angelus interea ſummo demiſſus Olympo
Membra ferens juvenis roſeo ſic ore locutus:
Unde venis? quo tendis iter? ſunt verba dolentis:
Effugio Dominæ faciem, infandumq. furorem.
Reddidit hæc Ales: Dominæ remeabis ad aulam,
Poſce tibi veniam, ſubjecta, humiliſq. precare.
Ventre geris puerum, paries, & nomine dices
Hunc Iſmaelem, tua quod ſuſpiria ſignat.
Audivit Dominus: ferus hic evadet, & acer,
Omnes contra ipſum, contra omnes ipſe feretur.
Ex illo populus, lati qui plurima Cœli
Sydera, qui ponti innumeras ſuperabit arenas,
Naſcetur. Dixit, retulitq. per aera pennas.
Extollens oculos Agar; ſic fata: videntis
Poſteriora Dei (mirum!) hoc in limite vidi,
Frgo viventis Puteum, atq. videntis habebunt.
Nec mora; jam parens mulier, frontemq. ſerenans
Ad Saram redit, atq. Abraham, cui tempore certo
Edidit Infantem, juſſo quem nomine dixit;
Tum fœdus repetens rerumq., hominumq. Creator,
Rurſus ait tecum renovo memorabile pactum,
Quod tua progenies, & qui naſcentur ab illa,
Haud unquam poterunt audaci rumpere fronte.
Signum firma tuis hæc quo promiſſa manebunt,
Hoc erit in populo, mea qui ſacra jura ſequetur.
Te circumcides, atq. hæc in carne tuorum
Vulnera conficies longum ſervanda per ævum,
Octavumq. diem attigerit cum maſculus omnis
His ſubjectus erit, doceant quæ fœdera, plagis.
Si quis erit, ſacrum proprio qui in corpore ſignum
Non gerat, hunc populi è medio delete, meorum
Non hic in cœtu. Dein talia ſubdidit. Ipſe
Amplius haud Abram ait Abraham dicêris, in annos,
Multos namq. Pater multorum eris, atq. propago

 Hinc

Hinc effuſa dabit claro de ſemine Reges;
Nec Sarai Uxorem dices, ſed nomine Saram,
Nam natum ingentis populi, Regumq. Parentem
In lucem effundet: dictis ſubriſit Abramus,
Addens; anne Senex, centum qui computat annos,
Et Mulier, curſu decies cui deficit Orbis,
Æquet ut illa virum, puerum genitoribus edent
Auxilium charis, & gaudia multa ferentem?
Iſmael ò utinam vivat! Deus addidit ultro:
Sara tuo pariet pulchram de ſanguine prolem,
Iſac cui nomen facies, quo creſcere gentem
Innumeram lætus videas. Agaride natus
Vivet, ab hoc etiam gens magna, & multa, duceſq.
Bis ſeni exurgent; Sed ego mirabile pactum
In ſolo ſtatuam Nato, qui venerit Iſac.
Dixerat, atq. aura citior ſe condidit aſtris.
Protinus, ante dies quam ſe demergeret undis,
Juſſa verenda ſequens, ſacro ſe vulnere ſignat,
Iſmaelemq. ſuum, & famulos, quos ille regebat,
Thariades, omneſq. emptos, aut fœdere junctos.
Mambre vallis erat, veterem quæ vergit ad Hebron,
Deliciis felix, & fertilis ubere glebæ,
Multis apta gregum turmis; hic caſtra tetendit;
Curſum Sole poli medium complente, ſedebat,
Cum ſator Omnipotens illuc penetralibus aulæ
Miſit ab ethereæ Aligerum tres, corpore ſumpto,
Qui juvenum ſpeciem peregrina in veſte ferebant.
Tres Abraham vidit, ſed flexo poplite adorat
Unum; atq. occurrens ſupplex invitat ad ædes,
Expediit menſam, vituliq. tenerrima flammis
Membra locat, coctos cineris ſub tegmine panes,
Impoſuitq. novum dulci cum lacte butyrum.
Interea hæc audit: Conjux ubi Sara moratur?
Clauſa domi, Conjux inquit, manet illa, nec audet

Prode-

Prodere ſe nobis; poſtquam unum impleverit orbem
Sol curſu (Ille addit), tua cumq. ad tecta revertar,
E' Sara natum proprio tibi ſanguine cretum
(An non Omnipotens Deus eſt?) tunc lætus habebis.
His autem auditis, ſervans poſt limina portæ
Riſum Sara dedit, nam longum exceſſerat ævum,
Evocat hanc, quæritq. ſimul, cur riſerit almus
Nuncius, & ſacris nolit cur credere verbis.
Se riſiſſe negat perterrita Sara timore.
Riſiſti, alter ait, fruſtra mendacia nectis.
Mox abiere viri; ſodomorum mœnia verſus,
His Abraham comitem ſe dat, longoq. viarum
Sermone explebant iter, at Regnator Olympi:
Hæc tecum numquid potero nunc condere Abramo,
In cujus cunctas benedicam germine gentes,
Et ſoboles numero ſuperis æquabitur Aſtris,
Excidium Sodomæ, atq. infandæ funera gentis?
Non ita: Nam natos æquum ſervare docebit.
Dixit, & Abramo mox ordine ſingula pandit:
Jam Sodomorum,Gomorræhorumq. gravatur
Culpa nimis, clamorq. meas pervenit ad aures.
Hoc Abraham advertens Sodomam ſubvertere novit
Velle Deum, & tali ſupplex ſermone rogavit.
Numquid cum juſtis involves crimine fœdos,
Qui gaudes pietate, Deus, ſanctoſq. tueris?
Quinquaginta viri mediis in mœnibus Urbis,
Si fuerint juſti, culpas, noxaſq. remittes?
Hæc Deus: Hos propter, veniæ locus eſſet iniquis;
Rurſus, & ora Senex aperit: cum laſſior auris
Sim cinis, & pulvis, quo cæpi perſequar auſu;
Quid ſi quinque minus? Deus illi, parcere vellem;
Deſinit haud Abraham; ſed quadraginta, repoſcit,
An pietate tuum poſſent mollire furorem?
Accipit: hi poſſent equidem; nè reſpue dictis.

Me

Me Deus audacem, ſequitur pius ille petendo,
Si loquar ulterius, numquid triginta nefandæ
Auxilium haud ferrent Urbi, ne lapſa jaceret?
Tuta foret, rerum reſpondit maximus Auctor.
Si cernas animo viginti vivere Sancto,
Numne omnes turpi corrupti labe perirent?
Haud equidem: Abramus majorem concipit auſum
Hoc addens ſemel audaci mihi parce loquenti:
Quid facies, tantum tua ſi ſuprema ſequantur
Juſta decem? abſtineam ſceleratam perdere gentem,
Omnipotens inquit: Tum vero nulla profari
Verba Senex audet, ſed Numen pronus adorat,
Retrorſum carpenſq. viam ſua tecta reviſit.
Interea ante fores Urbis cum pace ſedebat
Lot Sodomæ (in cautus ſcelerata ad mœnia greſſus
Rettulerat diræ poſt tot diſcrimina ſortis,
Invaſoſq. greges, ſæviq. pericula belli)
At ſuperum Pater inſontis miſeratus ab alta
Arce duos hominum tectos ſub imagine miſit
Aligeros ſero, primiſq. micantibus aſtris,
Quos ubi conſpexit, fit protinus obvius, ædes
Orat adire ſuas, atq. his renuentibus inſtat:
Me comitem haud fugite, hoſpitium nè ſpernite noſtrum.
Aſt illi: in circu, plateaq. manebimus Urbis,
Nè te ſollicites, precibus ſed pluribus uſus
Ire Domum juvenes, ſecumq. habitare coegit.
Tum de more pedes lavat, & ſudoribus artus
Detergit madidos, famuloſq. apponere menſas
Imperat; hi cyathos ponunt, atq. azima prompti,
Accumbunt ſimul, & vario ſermone trahebant
Tempora, dumq. mero gaudent, epulæq. vorantur;
In porta rumor exoritur, de ſedibus ultro
Lot volat, egrediturq. domo, & ſimul oſtia claudit,
Vallavere domum juvenes, pueriq., ſeneſque

In ſan-

Infandi, ſcelerum maculis uno ordine tacti.
Attonitus tremuit clamantum vocibus altis:
Hæc qui nocte viros habitant penetralia, tecto
Pelle tuo, & manibus tardes nè tradere noſtris.
Heu procul hinc immane ſcelus, deſiſtite cæptis,
Hoſpitij ſervate fidem, ne temnite morem
Tam ſacrum populis, ſervatumq. omnibus, inquit
Ore tremente ſenex, potius me infigite ferrum,
Ecce duas habeo præſtanti corpore natas,
Has vobis tradam: juvenum ſervate pudorem.
(Sic Lot infelix turbata mente loqutus.)
Paucis aſperſus guttis ut maximus ignis
Viribus augetur, majorem ita concitat iram
Ille virum, exacuitq. animos in crimina pronos.
Clamavere omnes: portarum è limine cedas,
Pande iter, hinc abeas, aliter dabis improbe pœnas.
Hoſpes tu noſtram, non Judex incolis Urbem;
Dein Lotum aggreſſi, portas irrumpere magna
Vi tentant, verum Juvenes Lot protinus intra
Ignoti retrahunt, & janua poſtibus hæret.
At denſa ſubfulta oculos caligine turba
Cernere non potuit, notumq. exquirere limen.
Angelici interea comites cuncta ordine Loto
Juſſa loqui exorſi, quæ imponit Numinis ira.
Infandi ſodomæ mores, & crimina metam
Jam tetigere ſuam; ſatis expectaſſe reverſos
Ad meliora homines naturæ adverſa ſecutos;
Appoſuit pharetram Omnipotens, arcumq. (*a*) tetendit;
Fulmina, quæ vaſtent Urbem, cúmq. Urbe prophanas
Adamam, ſeboim, Segor, putridamq. Gomorrham,
Immittet, cunctaſq. ſimul data flamma vorabit.
Tu, Natæq. tuæ, nec non tua protinus Uxor
Abſcede, & vultum ne ad lata incendia vertas,
Carpe viam ante oculos, ac rectà dirige greſſus.

Hor-

(a) Pſam. 7. 15.

Horruit Aranides dictis, tremuitq., nec ædes
Linquit adhuc miſeras, nec promptus ab Urbe recedit.
Tardantem Aligeri improperant: ſtat limine, donec
Abreptus Juvenum manibus cum Conjuge, & unà
Cum Natis trahitur, diraq. expellitur Urbe.
Sic animus tectis hæret, ubi fixa voluptas.
Lot Sodomæ egreſſus portis, ſpatiumq. viarum
Arripuit Segor verſus, noctemq. quievit
Tutus ibi, nec damna timens, indulſerat Urbi
Nam Deus, Aranidis precibus, votiſq. ſecundus.
Exoriente die, primiſq. cadentibus aſtris,
Exurgit lecto, cumq. altos lumina Solis
Prima tenent montes, ſubita ferrugine denſum
Obſtrepuit Cœlum, viſæq. inſurgere nubes
Nocte ſuper Sodomam tenebroſa, Urbeſq. propinquas,
Donec aberrantes fluidum rumpuntur in ignem
Sulphuris, atq. picis, ceu plena bituminis æther,
Volveret in terram ebullentia vaſa, cadebat
Undique flamma domos, atq. alta palatia, circos
Mœnia, templa, polis elatas vertice turres,
Camporum Segetes, ſylvarum, & robora vaſtans;
Materieſq. tenax ardentibus implicat undis
Omnia, tum lapides lignis, & ligna cohærent
Saxis, efferventq. ſimul, nam flamma perungit,
Comburitq. eadem, circum quæ ſerpere detur,
Sic homines membris hominum junguntur, & ardent.
Quaſſantes nubes, murorum, & ſaxa cadentum
Stridenteſq. ignes, queſtus hominumq. ferarumque
Audit ut Aranides, properat veſtigia cautus
Non retro deferre pedes, non vertere vultum
Audet in incenſas Urbes: Sola aſtitit Uxor,
Impavidos volvitq. oculos ad mœnia; tempus
Defuit aſpicerent vetitos ut in Urbibus ignes,
Marmorei, immotiq. adſtant, ſtupidumq. remanſit

Cor-

Corpus, & illius tota eſt caro ſaxea, formam
Naturamq. ſalis, fuerat quæ fœmina, veſtit.
At Lotus fugit ad montes, Nateq. Parenti
Eripuere dolis. (habet hos nam fœmina) ſenſus,
Illuduntq. Seni ſomno, vinoq. ſepulto.
Cauſa ſatis nota eſt, ſi ſacra oracula poſcas.
Nam (*a*) vinum, & mulier ſapientis vertere mentem
Sæpe ſolent; animoſq. pios ad crimina ducunt.
Prima Senis tandem natarum, menſibus actis,
Edidit occulto conceptum ſanguine fœtum;
Docta Moab noto dixit quem ſemine Mater,
Stirpe Moabites qua devenere potentes,
Atq. orientales poſiti Jordanis ad oras
Incoluere agros, ſupereſt quibus impiger Arnon,
Qui Kinhareſeth magnam circumluit undis;
Altera ab abſimili deduxit origine prolem,
Ammon, cui fecit ſæclis memorabile nomen,
Ecce mei reſonat populi quod filius; acres
Unde Ammonites, muris fortiſſima, & armis
Gens olim rudibus Galaad in montibus ædes
Inſtituere, ſuos prompti defendere fines,
Audaceſq. aliis inferre horrentia bella.
Interea Abramus rellinquit mane cubile,
Et tacitus volvens oculos ad jugera circum
Inſpexit Sodomam infandam, putremq. Gomorrham,
Everſaſq. Urbes, aſcendenteſq. favillas
Cernit, & expletam divini Numinis iram.
Jam ruit in cinerem, propriis ac tecta ruinis
Delituit pravorum hominum fœdiſſima culpis
Urbs quondam magna, imperioq. ſuperba potenti,
Atq. alias ſecum conjunctas funere traxit.
Iamq. ubi murus erat, latæq. ex ordine turres,
Et quæcumq. ſuo ſuperaddita machina vallo,
Elatæq. domus, vaſto & fora maxima circo,

K Eru-

(a) *Eccl.* 19. 2.

Erupere undæ tanta caligine denſæ,
Fœtoremq. graves antiquo ſulphure halantes,
Ut nulli piſces ſtagno naſcantur in atro
Delatiq. putri ſubito moriantur in unda,
Inde (a) Aſphaltites lacus hic ſibi nomina fecit,
Fumat namq. undis, ardenſq. bitumine poma
Pulchra parit viſu, quæ, ſecto cortice, putres
Emittunt cineres, & fœdas naribus auras:
Hæc veteris ſcelerata manent veſtigia culpæ,
Signaq. divinæ jactantis fulmina dextræ.
Sed jam tempus erit late per multa vagantem
Arva, ſequi, comitante ſua quoq. Conjuge, Abramum;
Inter confines Cades, & jugera Suris
Triſti ſe fato ne gens daret illa paveſcens,
Saræ fraterno ſe dixit ſanguine junctum.
Abimelech Ceraræ Princeps, ut viderat, illam
Abſtulit illectus facie, pulchroq. decore,
Nam varium vultum, aut deſpecta injuria formam
Temporis antiqui Saræ non reddidit unquam.
At Deus hæc tacitæ per nigra ſilentia noctis
Auribus incuſſit Regis: moriere, jugali
Quippe viro junctam rapuiſti fœdere Saram.
Intremuit viſu Abimelech, dictiſq. tremendi
Numinis hæc addit: dixit numne ille Sororem
Eſſe ſuam? fratremq. ſuum numne illa roganti
Fata mihi? rerum ignaram, & ſine crimine gentem
Exitio dabis, & crudeli funere perdes?
Tum Cœli Rector ſolatur voce timentem
Regem: nulla tuum, quoniam tu neſcius æquis
Egiſti hæc animis, crimen nunc pœna ſequetur.
Captam redde viro Saram, ni feceris ipſe,
Et genus omne tuum, nec non animantia cuncta
Protinus occumbes mortis nigrantibus umbris.
Nec mora, nec ſpatium; thalamo Rex ſurgit ab alto,
Ad-

(a) *Strab. lib. 16. Joſeph de bel. Jud. Theo. q. 69.*

Admonuitq. ſuos, quæ viderit ordine, ſervos;
Intremuere omnes tanto per ſomnia viſu.
Thariades accitur, eum ſermone dolenti
Aggreditur Regnans: quas nos tibi, forte, doloſas
Struximus inſidias? cur fictis fallere verbis
Auſus es immeritos, tantiſq. involvere curis?
Aſt ille erubuit, labiiſq. trementibus addit:
Me fateor timuiſſe tua peregrinus in urbe
Nè pulchra Saræ cives ab imagine capti
Illam vi raperent; Ego ſæva morte perirem.
Hinc thalami foedus tacui, dixiq. Sororem.
Nec mendax ego: namq. uno Genitore creati
Nos ſumus, aſt alvo geniti non Matris eadem.
Abimelech famulas, ſervos, pecudeſq., boveſq.,
Thariadi Saramq. ſuam integritate pudoris
Reddidit intactam; cui Rex ſic fatus eunti:
Fratri mille tuo donavi munera ſiclos,
Ut quæ ferre ſolent, capias velamina, nuptæ,
Ne quis ab ignota deceptus origine tentet
Infandum, velut ipſe, nefas. Tu lumina cauta
Contege, teq. dehinc detentam errore memento.
Vota Deo pro Rege Senex effudit, & ultro
Omnipotens Matrum fœcundas reddidit alvos.
Promiſſi hæc inter cœperunt currere menſes,
Intumuit, ſignumq. dedit jam Sara patentis
Fœtus læta ſui, exacto curſuq. dierum,
Emiſit natum, quem Iſac dixere parentes,
Riſit namque Parens, hunc cum prædiceret Hoſpes.
Tunc Abraham ut genuit centum numeraverat annos,
Atq. decem Saræ deerant, æqualis ut ætas
Huic foret, atq. aberat muliebris quæq. voluptas.
Poſtquam nectareum lactis guſtare liquorem
Deſiit Iſacus, magno convivia luxu
Lætus in æde parat Genitor, laquearia lychnis

Erupere undæ tanta caligine denſæ,
Fœtoremq. graves antiquo ſulphure halantes,
Ut nulli piſces ſtagno naſcantur in atro
Delatiq. putri ſubito moriantur in unda,
Inde (a) Aſphaltites lacus hic ſibi nomina fecit,
Fumat namq. undis, ardenſq. bitumine poma
Pulchra parit viſu, quæ, ſecto cortice, putres
Emittunt cineres, & fœdas naribus auras:
Hæc veteris ſcelerata manent veſtigia culpæ,
Signaq. divinæ jactantis fulmina dextræ.
Sed jam tempus erit late per multa vagantem
Arva, ſequi, comitante ſua quoq. Conjuge, Abramum;
Inter confines Cades, & jugera Suris
Triſti ſe fato ne gens daret illa paveſcens,
Saræ fraterno ſe dixit ſanguine junctum.
Abimelech Ceraræ Princeps, ut viderat, illam
Abſtulit illectus facie, pulchroq. decore,
Nam varium vultum, aut deſpecta injuria formam
Temporis antiqui Saræ non reddidit unquam.
At Deus hæc tacitæ per nigra ſilentia noctis
Auribus incuſſit Regis: moriere, jugali
Quippe viro junctam rapuiſti fœdere Saram.
Intremuit viſu Abimelech, dictiſq. tremendi
Numinis hæc addit: dixit numne ille Sororem
Eſſe ſuam? fratremq. ſuum numne illa roganti
Fata mihi? rerum ignaram, & ſine crimine gentem
Exitio dabis, & crudeli funere perdes?
Tum Cœli Rector ſolatur voce timentem
Regem: nulla tuum, quoniam tu neſcius æquis
Egiſti hæc animis, crimen nunc pœna ſequetur.
Captam redde viro Saram, ni feceris ipſe,
Et genus omne tuum, nec non animantia cuncta
Protinus occumbes mortis nigrantibus umbris.
Nec mora, nec ſpatium; thalamo Rex ſurgit ab alto,
Ad-

(a) *Strab. lib. 16. Joſeph de bel. Jud. Theo. q. 69.*

Admonuitq. ſuos, quæ viderit ordine, ſervos;
Intremuere omnes tanto per ſomnia viſu.
Thariades accitur, eum ſermone dolenti
Aggreditur Regnans: quas nos tibi, forte, doloſas
Struximus inſidias? cur fictis fallere verbis
Auſus es immeritos, tantiſq. involvere curis?
Aſt ille erubuit, labiiſq. trementibus addit:
Me fateor timuiſſe tua peregrinus in urbe
Nè pulchra Saræ cives ab imagine capti
Illam vi raperent; Ego ſæva morte perirem.
Hinc thalami foedus tacui, dixiq. Sororem.
Nec mendax ego: namq. uno Genitore creati
Nos ſumus, aſt alvo geniti non Matris eadem.
Abimelech famulas, ſervos, pecudeſq., boveſq.,
Thariadi Saramq. ſuam integritate pudoris
Reddidit intactam; cui Rex ſic fatus eunti:
Fratri mille tuo donavi munera ſiclos,
Ut quæ ferre ſolent, capias velamina, nuptæ,
Ne quis ab ignota deceptus origine tentet
Infandum, velut ipſe, nefas. Tu lumina cauta
Contege, teq. dehinc detentam errore memento.
Vota Deo pro Rege Senex effudit, & ultro
Omnipotens Matrum fœcundas reddidit alvos.
Promiſſi hæc inter cœperunt currere menſes,
Intumuit, ſignumq. dedit jam Sara patentis
Fœtus læta ſui, exacto curſuq. dierum,
Emiſit natum, quem Iſac dixere parentes,
Riſit namque Parens, hunc cum prædiceret Hoſpes.
Tunc Abraham ut genuit centum numeraverat annos,
Atq. decem Saræ deerant, æqualis ut ætas
Huic foret, atq. aberat muliebris quæq. voluptas.
Poſtquam nectareum lactis guſtare liquorem
Deſiit Iſacus, magno convivia luxu
Lætus in æde parat Genitor, laquearia lychnis

Splendent, atq. epulis menſæ cumulantur opimis;
Vino ut convivæ, & dapibus lætantur, ad aſtra
Infantem plauſu, Matremq., Patremq. ferebant.
Jam pietate puer multa creſcebat, & annis,
Deliciæ Patris, aſt Agar diverſus ab illo
Natus erat, cœpitq. Iſac illudere (a) mores;
Quod ſimul ac Abrahæ vidit conjuxq. ſororq,
Ut puer, ac Genitrix pellatur ab æde repoſcit.
Abramum famulam cum nato emittere tædet;
At Superum monitu uxori blanditur, & Agar
Et natum multo madefactos lumina fletu
Juſſit abire domo: Sylvas petit Agar, & oras
Berſabeæ, ac cernens inaquoſas perdita arenas,
Indoluit, latas nam ſecum abſumpſerat undas,
Aridaq. infelix, & hiantia pectore flammis
Ora puer referans, maternis languet in ulnis.
Aſpicit hunc Genitrix, & ſævo vulnere pectus
Figitur, atq. modum pœnis imponere neſcit.
Propterea hos edit queſtus deterrita: cordis
Vita mei, tu poſcis aquam, me humore carentem
Numine vides? Utinam poſſem tibi ſanguine potum
Nate parare meo, nunc vellem effundere venis
Uſa meis ferro manibus, nunc pectora vellem
Hæc penetrare, cruor, mea ſpes, ſi forte juvaret
Te miſerum; Heu moreris? ſolæ mihi nate ſuperſunt
Heu lacrymæ, haſce bibas: hæc ſola eſt unda parenti.
Defluit his gemitus dictis, vultumq. rigabat
Pallentem pueri, morti qui proximus errat
Atq. ore, atq. oculo, & tenuis vox faucibus exit.
Haud miſeræ eſt animus Matri tam dura videndi
Nati fata ſui, ſurgit, gremioq. jacentem
Excutit in terram patulæ ſub tegmine quercus,
Aufugit inde dolens arcus non longior ictu,
Et laniata comas, mittens & ad aſtra querelas.

Ange-

(a) *Hebr. apud Calmet.*

Angelus interea clamavit ab aere: Surge,
Attollaſq. ſolo puerum; nam ſanguine magnas
Illius educam gentes; his adſtitit Agar
Dictis, & puteum cernens, decurrit, & utrem
Implet, & ad Nati ſubito attulit ora jacentis,
Lumen ut extingui vicinum nutat, & ardet,
Ardet, & hinc nutat, brevis hoc ſi ventilet aura,
Protinus emoritur; rurſuſq. acquirere vires
Aſpicis, huic oleum fundens, flammamq. moveri,
Ore Puer lambens gelidas ſic anxius undas
Exiccat lacrymis oculos, ſuſpiria frænat,
Ac recipit vires, fretuſq. recentibus auris
Redditus eſt vitæ, fert & nova gaudia Matri.
Mox ubi ſignavit prima lanugine vultum,
Ad certa ediſcit configere ſigna ſagittas,
Evaſitq. ferus; nemorum deſerta frequentans
Sollicitare feras; harumq. in ſanguine ſuetus
Immiſcere manum, dapibus veſciq. ferinis;
Sic loca, ſic artes facilem dant moribus uſum.
Tandem connubio Genitrix hunc jungit opimo
Virgini in Ægypto cretæ, quo fœdere natos
Bis ſenos genuit, totidemq. in ſemina gentes
Sunt Arabum fuſæ noſtro quoque tempore notæ.
Hæc dum Pharanis deſerta in parte geruntur,
Abimelech, Regiſq. Phicol qui præſidet armis,
Convenere Abraham, cui Rex hæc edidit ore:
Te, Pater Omnipotens, argenti pondere, & auri
Armentiſq. ovium fecit, famuliſq. potentem.
Nunc igitur te nulla mihi natiſq. nepotum
Æternum jures laturum damna per æuum.
Annuit his Abraham; ſed vocibus increpat auſos
Abimelech famulos, puteum, qui foſſus ab illo
Jure fuit, pace haud æqua, ſed viribus uſos,
Subripuiſſe ſibi, cui talia reddidit alter

Haud-

Haud unquam noſtras quod narras venit ad aures,
Nunc primum audacis mea fit mens conſcia facti.
Propterea alterno firmemus pignore pacem;
Hanc jurans obſtringe fidem, da fœderis arrham.
Sollicitus pecudes, & pingues corpora tauros.
Fert Abraham Regi, fœduſq. iniere viciſſim.
Addidit hinc ſeptem electas ab ovilibus agnas;
Quas ut conſpexit, miratus munera dixit
Abimelech: agnæ quanam ratione feruntur!
Hæc cui Thariadeſi pretium hoc eſt; accipe ut humor
Sit meus æternum putei, merceſq. meorum.
Atq. ita compoſitis alterno fœdere rebus,
Berſabeæ locus ille fuit per ſæcla nepotum
Amborum ſacro jurantum nomine dictus:
Inde ſuæ Phicol, & Princeps ſe reddidit aulæ.
Berſabeæ aſt Abraham nemus ingens ordine ponit
In campis, nomenq. Dei pius invocat alti,
Atq. Paleſtinæ longum ſtetit incola tempus.
Interea Omnipotens Abrahæ nova juſſa per aures
Intonuit clamans, natum, quem diligis, Iſac
Tolle tuum, magniq. ſuper faſtigia montis
Duc illum, atq. mihi mactes holocauſta jubenti.
Juſſa Senex tenerum, patriumq. oblitus amorem
Sponte facit, puerumq. vocans hæc ore locutus.
Nate, Dei quando ſuprema capeſſere jura,
Ignotaſq. homini venerari haud quærere cauſas,
Noſtrum eſt; quæ vult Omnipotens hæc accipe, noſtro
Sanguine nate puer: jubet Hic aſcendere montem,
Quem Moriam dicunt, ariſq. imponere Sacris,
Quæ ſibi depoſcet mactanda; piacula, cultro.
Hæc tu ligna feres, gladius mihi fertur, & ignis.
Sic ait, imponitq. humeris ſarmenta ſequentis
Iſac prompta Senis veſtigia montis ad arcem;
At puer hæc ſecum meditans effudit ab ore.

Ligna,

Ligna, ignemq. paras, holocauſti munera noſtri
Nulla Pater video: impavidus, vultuq. ſerenus
Ille ait, o Fili, nobis ſi victima deſit,
Providus hanc Deus oſtendet, dignamq. parabit.
Vix tetigere puer, genitorq. cacumina, ſummo
Congeſſere jugo ſaxa, atq. altaria promptis
Componunt animis, immobile, & ignibus aptum;
Hæc ſuper extendunt fulcrum, denſiſq. coronant
Frondibus, & tenues vittas, & lintea ponunt.
Inſtructis tandem, ſola eſt quæ deficit, aris
Victima; tunc Abraham, naturæ legibus ultrò
Poſthabitis, Domini imperium facturus amantem
Sic Natum alloquitur: Tu victima, Nate, Satori
Grata cades, & cæſa meis eris hoſtia dextris.
Sic vult, ſic jubet Omnipotens, ne verba jubentis
Temne Dei; ſævum mortis ne crede miniſtrum
Patrem, Nate, tuum; ſunt in me viſcera patris
Eſt amor, eſt pietas, ſenſuſq., eſt, omnia noſtro
Subjicienda Deo; loquitur natura, ſed urget
Vox potior, quantæ volvuntur pectore curæ!
Sed ſperare juvat, ſummi promiſſa recordor
Numinis, atq. tuo innumeram de ſanguine gentem
Venturam aſpicio, quamquam tua funera cerno;
Eſt Deus in nobis, quo nos agitante, movemur;
Ipſi eſt firma fides, divinaq. verba manebunt,
Quæcumq. hæc fuerint; illi jus, atq. poteſtas.
Haud trepidat dictis Iſac, nec pectora cultro
Armatus pulſat Pater, haud mors proxima terret,
Nullus in ore ſedet pallor, nec defluit ulla
Gutta oculis Pueri, ſaxo ſed durior inquit:
Quis tibi me dederit novi, Pater optime, magno
Me nunc redde Deo rurſus ſua dona petenti;
Haud amor, haud timor, haud gentis tibi cura futuræ;
Explicat Omnipotens Rector ſecreta viarum

Ad-

Adverſo ad metam ſolitus deducere calle.
Necte pedes, palmaſq. meas, vittæq. ſub umbris
Conde oculos, hæc dum fumant altaria, mortis
Ne triſti nimius ſurgens ab imagine terror,
Grata minus Superis oblata piacula reddat.
Quidue diù tardas in me convertere ferrum?
Læto macta animo Natum; nil dulcius illi,
Jucundumq. magis quàm Numinis æthere ab alto
Ore jubente mori, ut legi parere ſupernæ
Ediſcant noſtra venturi morte nepotes.
Fortior impavido pueri ſic ore loquentis
Redditus ut genitor, pedibus ſacra vincula nectit,
Ac dextram lævæ appoſuit, velamina circum
Appendens frontem, extructis hunc ponit in aris,
Atq. oculos vertens ad lucida Sydera ferrum
Extollit rutilum, Numen ſic inde precatur:
Accipe ſumme Deus noſtris libamina votis
Hæc oblata tibi, & tantum ne reſpue Sacrum.
Vix hæc verba dedit, ſummo delabitur axe
Angelus exclamans; Abraham, ſletit Ille cadenti
Suſpenſus gladio; reſpondens protinus: Adſum.
Addidit inde Ales: Nati nè ſanguine tingas
Aram, ſiſte animum, converte manum, abjice ferrum.
Jam nobis tua nota fides, dum parcere nato
Haud renuis: Domino tua ſufficit æqua voluntas.
Convertens oculos hærentem cornibus hircum
Vidit Thariades inter vepreta, cucurrit
Continuo arripiens illum, pueroq. ſoluto
Pro nato ſacris holocauſtum altaribus obfert.
Poſt Sacra devotis expleta piacula ſignis
Divino accenſus Tharæ ſpiramine natus
Auſpicijs gravidò effudit tum pectore miris
Has voces ſæclis ſpondentes magna futuris:
Quot radij inſurgunt, quæ lux eſt ſenſibus orta

Nate-

Nate meis ! animus quænam myſteria volvit ,
Quæ Pater Omnipotens excelſi in vertice montis
Patrabit ! procul hinc hominem , currentibus annis ,
Divinam miro ſociantem fœdere noſtro
(*a*) Naturam aſpicio laſſum ſuccedere monti
Lignum ingens humeris dulci cum pace ferentem ;
Ipſe refers ſpeciem , moriturus at ille piabit
Quod duxere patres ſceleris veſtigia noſtri ,
Illius & ſaxa excipient , glebæq. cruorem .
Ex ſacris arcana patent hæc omnia ; Teque
Divina ex Iſac natura intacta redempto ,
Humana oblato ex humili dignoſcitur hirco ;
Sic ait , atq. alto deſcendit vertice lætus .
Cum nato tandem , famulis comitantibus illum ,
Quos Sacrum vetuit ſecum conſcendere montem ,
Berſabeam repetit , veniunt quò nuncia , Melcham ,
Ingentem ſobolem , Tharæ de ſanguine nato
Progenuiſſe Nachor , Hus qui tentoria fixit
In latis Arabum deſerti littoris arvis ,
Auſitidemq. Urbem (quæ dein labentibus annis
Hus fuit) incoluit , Jobi poſt nomine claram .
Buz Meſopotamiæ , Buren qui condidit Arcem ,
Hunc Sequitur Camuel , quamvis pater ille Syrorum
Fertur ; totius non Regni primus habetur ,
Sed Camelitarum , Syriæ qui partibus adſunt .
Cunctos ex Caſed , chaldæos eſſe putarunt
Hæbrei genitos , vero ſed fama repugnat ,
Nam Caſdim multæ ſignantur nomine gentes ,
Quæ citra Euphratem , atq. ultra inſpectantur in oris
Nomine Chaldei , primaq. ab origine , quorum
Sanguine tot venit Sapientum turba decoro ,
Cis Babilona ſuas tenuere in littore ſedes ,
Perſicus unde ſinus lata dilabitur alvo ,
Borſippæq. cavis Araborum finibus hæret .

L Ad-

(a) *Apud. Calm. in Geneſ.*

Additur Azau, cujus ſunt Azura, & Aza,
Urbes Cappadocum antiquæ, Armeniæq. minoris
Limine in adverſo, ac lateri ſtat Trapezus altus.
Sunt qui de Melcha ſurgunt haud nomine digni
Pheldas, Jedlaph, & Bathuel quo nata Rebecca.
Illi etiam Tabeam, Gaham, Taham, atq. Maacham
Roma parit, veteres Macetæ hinc populiq. Tabei.
Jam ſol Zodiaci converſo limine centum
Biſq. decem, ſeptemq. rotis expleverat orbes,
Cum Sara, cui feſſo languent in corpore vires,
Vitales auras dulci cum pace quieſcens
In terris Chanaan, Abram lugente, reliquit.
Non minor eſt Iſac luctus genitricis amorem
Experti, ſævumq. fovet ſub pectore vulnus.
Septem Aurora vices noctis dimoverat umbras
Ex quo cum nato lacrymarum fuderat imbrem
Ingentem genitor, monſtrant dum fulcra cadaver.
Luctibus ut complere dies qui dantur amaris,
Solliciti exquirunt terram, qua frigida condant
Membra, nec Abramo tumulo pars cernitur apta:
Ingens inſpicitur tandem ſpelunca profundam
Complectens cameram, duplicemq. in ordine gyrum,
Hethæoſq. rogat, quibus hæc ſunt jugera curæ,
Vota interponunt, quo fundum cederet Ephron,
Æquum pollicitus pretium, cui talia nati
Hethæi reddunt miti ſermone: Superni
Tu nobis Princeps Regis, quocumq. cadaver
Conde loco, tibi libertas conceſſa ſepulchri,
Hoc Ephron dictis probat, aſſentire recuſat
Thariades, agrumq. Ephron ut vendat, & antrum
Urget, & oblato reddit pro munere grates.
Poſt varium alloquium votis tandem annuit Ephron,
Et quadrigentis Abraham dat jugera ſiclis,
Teſtibus utuntur, firmant monimentaq. ſignis.

Jus

(*a*) Jus erat antiquis nulla mercede ſepulchrum
Cedere, nec pretio poterant hoc vendere pacto,
Aut emere: huic legi adverſis erat impius error;
Cumq. Ephron accipiat, cumq. aurea ſolvat Abramus,
Emptorem incuſant multi, & qui vendidit antrum.
Aſt Abraham haud veterum diſſolvit fœdera legum,
Emit namq. locum, non ſacri jura ſepulchri;
Quin etiam afflatu divini luminis egit,
Ut foret exigui firmus poſſeſſor Agelli
Nunc, quondam Dominus tota in regione futuras;
Res ita per parva Omnipotens exordia magnas
Efficit, atq. modis ſervat promiſſa ſecretis.
His igitur ſpecubus Mambre, ſeu dicimus Hebron,
Innocuo junctam thalamo, ſociamq. laborum
More Saram patrio longi poſt nubila luctus
Tharæ, componit gnatus, diſponit acervum.
Mox lapidum genti monimentum inſigne futuræ.
Poſtea (nam longos vivendo expleverat annos)
Omnibus ex fidis ſeniorem in æde miniſtris
Providus accerſit famulum, cui talia mandat:
Dextram pone meum ſubter femur, atq. potenti
Cœlicolum Regi, nutu qui cuncta gubernat,
Te Chananeorum nullam de gente creatam
Infanda Sponſam, ſed noſtro e ſanguine ductam
Innocuam, pulchramq. Iſac ſociare puellam,
Sponde (*b*). Hic jurandi mos tacto crure notabat
(Fama refert) potius moriturum vulnere ferri
Tangentem infando, quam ſacrum crimine fœdus
Fracturum, ſanctamq. Fidem, ſuſpenditur enſis
Nam lateri. At ſubit excelſum, humaniſq. ſecretum
Mentibus arcanum miro velamine tectum:
De Patriarcarum venturum ſemine quondam
Noſtris indutum exuviis de Numine Numen

L 2 Hæc

(a) *Hiero. in qq.Hæbr.Perer. inGenes.* (b) *Aug.q.62.cont. Jovin. Lir. Tirin. Menoch.*

Hæc ſignant ipſumq. docent adducere teſtem.
Juſſa facit domini famulus, fiduſq. miniſter
Tantum hæc voce refert: quid ſi ſuccedere terris
Abnuat his Virgo? Cui Abram te nulla tenebunt
Promiſſa: hoc tamen ipſe cave, ne ad jugera natum
Illa meum ducas, ſi Virgo venire recuſet.
In Meſopotamiam ad gentes de ſtirpe creatas
Noſtra carpe viam: Domini comitabitur almus
Angelus (haud timeas) veſtigia, & illius alto
Auxilio huc duces nullo diſcrimine ſponſam.
Dixerat, & famulus quæcumq. expoſtulat uſus
Comparat, atq. decem captis de ſtirpe camelis,
Muneribuſq. Haran petit: illa Nachor in Urbe,
Abrami frater Nachor, cum prole manebat.
Adſtitit ad puteos, expectavitq. miniſter,
Feminæ ut haurirent, umbris ineuntibus, undas.
Advenit huc pulchra aſpectu ſub flore juventæ
Virgo modeſta oculis, niveo & candore renidens,
Filia quæ Bathuel, & quam dixere Rebeccam.
Haurit ut hæc undas, occurrit ſervus, & illa
Expoſcit potum, cui blandis femina dictis
Nunc bibe, reſpondens, hydriam inclinavit in ulnis,
Sedavitq. ſitim, rurſuſq. ad limina fontis
Accedens, omnes recreavit fonte camelos.
Hoc erat augurium; nam ſupplex ante Parentem
Æthereum his famulus votis oraverat; undas
Quæ mihi, quæq. meis potum exorata camelis
Offeret, hæc domini promiſſa eſt femina nato.
Quam molitus erat directam a Numine ſortem
Credidit, & loculis ſubito, quæ dona ferebat,
Protulit, armillas ex auro, auroq. nitentes,
Virginis ornamenta, decuſq., impertit inaures.
Frater erat Laban Bathuel, genitorq. Rebeccæ
Hi famulum ad tecta adducunt, ac cuncta requirunt
Et ſtirpem, mentemq. Abrahæ ſatis ordine notam
Cum

Cum tenuere, ſacro connubia fœdere complent;
Tunc vaſa ex auro promit perfecta, & opimas
Dat Sponſæ veſtes famulus, Matremq. puellæ
Et cunctos onerat donis ex ordine fratres.
Vix aurora polum luſtrat; cum Virgine ſolers
(Magna Ancillarum ſponſam comitante caterva
Servorumq. manu Genitor quos miſit) ad oras
Venerat unde prius gaudens hac ſorte redivit.
Iſac interea egreſſus, gradienſq. per agros
Ad puteum (viventis dicitur atq. videntis)
Elevat hinc oculos, multa cum gente camelos
Adventare procul videt; at vix conſpicit Iſac
Illicò deſcendit Bathuelis nata camelo,
Palliaq. arripuit longa, obducitq. decorum
Vultum, atq. involvens totam ſe tegmine condit.
Virginibus noſtris mos hic inviſus; amictu
Haud vultum operiunt, quin nullo oſtendere gaudent
(Infandi o mores!) tectum velamine collum.
Heu quam nunc paucis verecundia nota puellis!
Huic lætus natum nunquam violabile junxit
Fœdere Thariades: aliam mox jungere lecto
Inſtituens cunctas inter ſibi ſorte Cethuram
Eligit: hæc illi Zamram, Jecſanq., Madanq.,
Et Madian fœcunda parit, Jesbocq., Sueq.
Ex Jecſan Saba, & Dadan, qui gignit Aſurim,
Et Lathuſim, & Loomim. Madian, Epha, Opher, & Henoch
Abidaq., Eldaaq. iſtis dat munera tantum,
Dimittitq. procul vaſtas Orientis ad oras,
Divitiis Iſac cunctis Pater optimus ornat.
Jamq. ætate gravis, tum feſſus corpore, centum
Septuaginta Parens, & quinque exegerat annos;
Cum jacet extremis langueſcens proximus horis.
Iſmael, atq. Iſac multis, pia pignora, lectum
Circumſtant fuſi lacrymis, Genitoris & artus

Sæpe

Sæpe levant, faciemq. gravi ſudore madentem
Tergentes, Senis halitibus ſuſpiria miſcent,
Donec cum patribus felix in pace quievit.
At nati, exanimes artus, motuq. carentes,
Illius ut videre, domum clamoribus implent
Ac ipſos ſociant ſingultibus, atq. querelis,
Et famuli, & famulæ longo circum ordine flentes,
Extinctiq. canunt inſignia facta parentis,
Hi fortem, promptumq. animum fideiq. tenacem
Rebus in adverſis tollunt ad ſydera, mores
Innocuos illi laudant, omneſq. juvandi
Hoſpitio, atq. opibus ſtudium; ſic maxima promunt
Geſta viri æterno felix qui nomine vivet.
Labile non ſequitur pallentes corpus ad umbras
Aſtris ſplendidior ſurgens poſt funera virtus.
Corporis exuvias tandem, poſt tempora luctus
Exportant tectis Nati cum cœtibus omnes
Effuſi lacrymis duplex comitantur ad antrum
Mambre, ubi Sara jacet, conduntq. hic membra Mariti.
Iſmael ex Agar genitus, de conjugis alvo
(Illi Ægyptiaco dederat quam ſemine natam
Jam peregrina parens) multorum germina vidit
Natorum. Ante omnes Nabaioth limina vitæ.
Attigit, inde Cedar, cui jungitur Adbeel, auras
Inde bibunt Maſma, & Duma, & Maſſa, hoſq. ſequuntur
Hader, Thema, Jethur, Naphis, & denique Cedma.
Bis ſeni hi Tribuum totidem diverſa per arva
Surrexere Duces, varios populoſq. crearunt.
Centum triginta & ſeptem jam curſibus altus
Sol metam attigerat, cum viribus Iſmael æger
Occubuit, tenuitq. ſua cum gente ſepulchrum.
Infelix vitam, & ſu'tus mœroribus Iſac
Degens interea mœſta cum Conjuge, (fructus

Nam deerant thalami) noctuq., diuq. ferebat
Vota Deo, donec precibus rerum annuit Author,
Promiſsumq. genus varium poſt temporis orbem
Oſtentat Conjux, duplici quæ pondere turget.
Attamen immiſcet fœcundæ gaudia luctus;
Nam fera concepti ſubeunt diſcrimina foetus
Viſcera, quæ pugnæ campus, convulſa parentis
Sæpe dolent, alvumq. gravi percuſſa tumultu
In varium torquent pondus, lacrymanſq. Rebecca
Cum gemitu has mittit querulas ad ſydera voces:
Quidnam concepiſſe juvat, ſi mortis ad umbras
Me vocat hic motus, ſpecieſq. aſperrima belli?
Cum vox intonuit Cœlo delapſa; ſub alvo
Et populus duplex, & gens diverſa moratur.
Servus erit Major, converſo jure, minori
Cum tamen hora ſubit laſſi qua pondera ventris
Bina parens longo deponeret acta dolore
Diſſimiles fratres, geminiq. oriuntur ab alvo.
Qui prior egreſſus rufus, rudis, hiſpidus artus
In morem pellis, cui nomen contigit Eſau.
Protinus hunc alter ſequitur, dextraq. tenebat
Germani plantam; Jacob quo nomen ab actu.
Corpore, & ingenio adverſi crevere gemelli,
Eſau namq. artem agricolæ, ſylvaſq. ſecutus
Venandi reddit ſtudio intractabile corpus
Cœli intemperiem, ſuetumq. ſubire labores.
At Jacob gregis, atq. ovium cui cura quietam
Illarum didicit natura ducere vitam.
Ille patris, teneræ ſpes alter chara parentis.
Forte Eſau rediens venatu, & languida longo
Tramite membra ferens ad tecta revertitur, atra
Eſurie impatiens, lentes quas coxerat alter
Poſtulat, at Jacob: mihi ſi promiſeris ortus
Vendere jura tui, pulmentum hoc accipe dixit;

Ille

Ille ait: en morior, quidnam mihi proderit ortus
Hæc lex prima mei? jures, ſuperaddidit ille,
Ergo mihi: jurat; pactas & devorat eſcas.
O ingluvies ſcelerata, gulæq. inſana voluptas
Ad quæ mortales magno infortunia lapſu
Non trahis? at ſeri venient e ventre dolores,
Interea agricolis, quamquam bene culta, per annos
Terra diu ſterilis peperit regionibus Hebron
Deficiente famem camporum ſemine duram.
Cogitur hinc Iſac alienas quærere ſedes,
Regemq. Abimelech opulentis jugere dantem
Jura Palæſtinis tota comitante caterva
Convenit, & Geraris ſtationem fixit in Urbe,
Cui Deus hæc adſtans inquit; procul effuge ab arvis
Ægypti, atq. illas, tibi quas oſtendero, ad oras
Carpe iter: has Abrahæ Genitori, atq. omnibus olim
Promiſi veſtris, referent quos ſæcula, natis;
Ne timeas præſens adero tibi, teq. tuebor,
Atq. tuo cunctas benedicam in ſemine gentes.
Nam voci, dictiſq. meis parere ſuetus
Thariades fuit, & legem, rituſq. colebat.
Sic Deus: at Geraris dum ſedes incolit Iſac
Exquirunt, illi quonam ſit fœdere juncta
Femina tam pulchra aſpectu, vultuq. decora
At Jacob veritus ne Conjux citra pararet
Fata ſibi, cunctis Soror eſt mea, dixit; at illos
Libertate jocos nimia exercere viciſſim
Ut videt Abimelech, illam non jure Sororem
Credidit, at nodo devinctam Conjugis arcto.
Qua fronte (elata aggreditur ſic voce trementem)
Fallere nos tentas, unde hæc mendacia cauſam
Cæca trahunt? nobis quonam tibi jure Sororem
Jactas connubio, cui tu copularis amanti?
Ne morerer timui, nimium nam pulchra tuorum

Alli-

Allicit hæc oculos reſpondet territus; addit
Cui Rex: e populo ſi quis contingere nuptam
Auderet, tu cauſa mali, ſceleriſq. nefandi.
Vix hæc Abimelech, juſſit ne tangere Iſachi
Audeat uxorem quiſquam de gente ſuorum,
Et quicumq. reus capite impia crimina ſolvet.
Mox Iſac accitis exercuit arva colonis,
Centuplicemq. ferunt terris data ſemina frugem;
Hinc orta eſt illi multarum copia rerum,
Innumeræ armentorum turbæ, oviumq. catervæ,
Cuſtodes multi, ac Servi, famulæq. per amplos
Effuſi campos cœtus velut agminis errant.
Inde Palæſtini ſtimulis mordacibus acti
Invidiæ puteos, Abraham quos foderat olim
Obſtruxere, etiam Abimelech has linquere terras
Inſignem pietate virum, comitemq. coegit.
Iſte hinc progrediens Geraræ torrentis ad oras
Figit caſtra, aperit medios ubi vallis hiatus
Hinc puteos cavat ille novos, quos cura Parentis
Fodit, Philiſtim ſed complevere coacto
Aggere, nominibuſq. vocat quibus ante vocarat
Hos Abraham ſacris, liquitq. nepotibus uſum.
At nova lis orta armentis Gerarena per arva
Qui præſunt varijs intentant prælia dictis:
Hæc aqua noſtra eſt; his noſtris abſcedite rivis,
Unde Senex puteo dat jure calumnia nomen
Atq. alium effodit, rixæ qui cauſa recentis;
Hunc inimicitiam, pacto diſcrimine dixit.
Excavat inde novum longe progreſſus ab illo,
Et quoniam lis nulla ſubit, Latitudo vocatur,
Ceu dederit Superum Pater iſtis creſcere terris.
Berſabeam hinc iter accita cum gente propinans,
Cumq. ovium turmis longævus dirigit annis,
Quem Deus alloquitur per opaca ſilentia noctis:

Sollicitos animo (tecum ſum) mitte timores;
Nam Patris ille tui, rerum Moderator, & Auctor
Sum Deus; æternum proles benedicta tuorum
Tuq. eris, & magnum efficiam te, fidus Abramus
Id meus expoſcit; pronus tum Numen adorat
Iſac, electiſq. ſtruens altaria ſaxis
Invocat hic Domini magnum, & venerabile nomen,
Altius inde jubet pueris effodere terram,
Qua puteus ſurgens hominumq., oviumq. catervis
Sat dedit, ut biberent, pueri quo gurgite læti
Admonuere Senem; hiſq. locat tentoria campis.
Convenit interea Abimelech, Phicol, Ochoza Iſachum
Egreſſi Gerara, placido quos ore locutus
Ex Abraham genitus: qua vos inviſere cauſa
Auſi me, veſtris quem projeciſtis ab arvis
Deſpectum, exoſumq. virum? cui talia reddunt.
Quod tibi ſemper adeſt, frugibus tum grandibus auget
Te, Deus, inſpicimus, nos ergo jungere fœdus
Jurando volumus, ne ſint diſcrimina nobis
Ulla unquam; rebus nos te dimiſimus auctum;
Deq. tuis ullam non auſi attingere partem.
Tunc Iſac lautam hoſpitibus componere menſam
Imperium ut dederat, famuli, famulœq. vagantur,
Sollicitiq. parant regali ſplendida luxu
Quamquam paſtorum rudibus convivia clauſtris
Ex ſtabulis pingues taurorum, ab ovilibus agnos
Exſcipiunt, in fruſta ſecant, pars viſcera nudant,
Tergora diripiunt alij, carbonibus aſſant
Exta alij, reliquis ſunt qui ænea carnibus implent.
Arte laborata undoſis mantilia cyrris
Extendunt menſis, ponuntq. ex ordine ſedes.
Ubere adhuc mulſi, tum preſſi copia lactis
Et varij fructus, & dulcia vina feruntur.
Accumbunt tandem Abimelech, ſociiq. decoro
Quiſ-

Quiſq. loco, incipiuntq. avido guſtare palato,
Quas famulæ expediunt intus, trepidiq. miniſtri
Jure ſui portant ſervato temporis, eſcas.
Dum dapibus ſe onerant omnes, & vina coronant
Non procul a menſis paſtores ordine longo
Diſpoſiti tenuere locum, inſtrumentaq. tentant.
Ut chorus inſedit, varijs concentibus aures
Et mulcere animos gaudet, quaque arte laborans.
Sunt quibus exiguæ alterutrum conflantur avenæ;
Inde humiles calami, Tibiæq., rudeſq. Cicutæ
Dulce ſonant, alijq. alio ſolatia plectro
Grata ferunt; inter pueros ſed celſior omnes
Aza ſedet cythara excellens, qui carmina chordis
Jungit ovans majora, rudis quam poſcat origo,
Ingeniumq. ſuum divino flamine motus.
(a) Quæ loquor audite o Cœli, ſimul accipe terra;
Elloquiumq. meum rorans velut effluat imber.
Quis Deus ut noſter Deus eſt ſublimia calcans
(b) Sydera, qui pulchram Auroram, ſolemq. creavit
Et Cœlum extendit Solus; molemq. ſupernam,
(c) Arcturumq., Hyadaſq. graves, & Oriona fecit?
Quis Deus ut noſter? colles, monteſq. potenti
Ponderat ille manu ut ſtipulam, deq. illius uno
Tota gravis digito terrarum machina pendet;
Atq. cavo palmæ fontes, & flumina, & alta
Æquora concludit, fortiq. omnem excutit orbem
Pollice, demiſſis cæleſtia frontibus illi
Ac terræ, inferniq. omnes curvantur Abyſſi.
Ignis, nix grando, tempeſtatumq. furentum
Spiritus, & glacies, omniſq. obtemperat æſtus
Nutibus illius, renuunt nec juſſa Drachones,
Camporum, nemorumq. pecus, cœlique volucres.
Ut Dominum hunc omnes populi, terræq. potentes,
Et pavidi Reges, & flexo poplite adorant.

M 2 Maxi-

(a) *Deut.*32. (b) *Sal.*7.16. (c) *Job.* 9. 9.

Maximus iſte Deus, qui nullo clauditur ævo
Mortali carne indutus cognoſcere Matrem
Incipiet, quondam veteris veſtigia culpæ
Diluet, Omnipotens, cœlorumq. oſtia cœcis
Clauſa viris pandet, captivæ vincula gentis
Diſſolvens, jungetq ſimul cœleſtibus ima,
Sanguine deq. tuo Hunc ortum lætaberis Iſac,
Hinc tibi magnus honos, & gloria magna nepotum.
Convivæ plauſere melos; mortalibus ægris
Sed quia ſuadebant labentia ſydera ſomnum,
Conticuere omnes, & molli corpora lecto
Quiſq. dedit, placidæq. oculos clauſere quieti.
Vix aurora Polo primas dimoverat umbras
Sollicitus, trepidanſq. thoro Rex ſurgit ab alto
Abimelech greſſus patrias moturus ad ædes;
At prius alternis jurant memorabile pactis
Pignus amicitiæ, ſacrataq. fœdera ſignant.
Poſtea conveniunt pueri, qui nuncia Iſaco
Portant læta Seni puteum inveniſſe fluentem
Multiplici undarum vena; qui dictus Abundans,
Vicinæq. Urbi Berſabea nomina fecit.
Mox Eſau ſtabat, cui quadrageſimus annus
Adverſa cultu Uxorum de ſtirpe duarum
Conjugii nodis ſe ſe devinxit iniquis.
Atq. patris, matriſq. animos mœrore profundo
Impius explevit; Sponſarum prima Beero
Judith orta, ſecunda Elon, quæ dicta Baſemath.
Moribus ex harum, major ſed cauſa dolorum
Eſt exorta, pijs triſtiſq. parentibus horror.
Jurgia namq. domi ſuetæ, & diſponere lites
Temnenteſq. Deum, nugas, & Idola ſecutæ
Iſaci irrident voces, monituſq. Rebeccæ.
Interea Abramo genitus defeſſus ab annis
Ægrotans, captuſq. oculis caligine fuſis

Cer-

Cernere non poterat; natorum ſemine primum
Advocat, atq. illum tremulo ſic ore locutus:
Nate vide quam longa Senex ſim tempora menſus
Nec mihi nota dies; breve, & irreparabile tempus,
Ante igitur celeri claudam quam lumina morte
Arcum nate tuum properans, pharetramq. ſonantem
Telaq. longa cape, & vaſta egrediaris ad arva,
Quamq. ſolo prædam venando ſtraveris ictu
Fer tecum, coctamq. meo, quem noveris, uſu
Da mihi, teq. tuo benedicam in ſemine: velox
Annuit his Eſau. Genitrix attenta Rebecca
Audit ut hæc ſubito Jacob accerſit, & illum
Aggreſſa his dictis: major jam jugera frater
Venatum petit, ut Genitor ſylveſtribus Iſac
Veſcatur dapibus, quem poſt benedicet & omnes
Ipſi divitias, & pingue relinquet ovile.
Conſilijs te redde meis, & verba rependas:
Vade cito, deferq. duos ab ovilibus hædos.
Optima qui proles, niteant qui tergore pingues.
Hos, veluti Genitor cupit anxius, ipſa parabo,
Tu grata appones Genitori fercula tantum.
Teq. ille ignotum benedicet, provida matris
Conſilia & voces ne ſpernas nate monentis.
Intremuit Jacob dictis, atq. ora reſolvit:
Nonne meus ſetis hirſutus corpore totus
Eſt frater, non lenis ego? ſi forte doloſum
Me Genitor palpare velit, cum noverit aſtum
Tunt maledictus ego, non jam benedicar ab illo.
In caput iſta meum maledictio (deprecor Altum)
Nate ruat: victas Matris da vocibus aures;
Hœc Genitrix; timidiq. animum componere curat.
It tandem puer ad ſtabulum ex melioribus hædos
Vellit ab uberibus matrum, tectumq. reviſit.
Prompta Rebecca manu tulit, ac convivia præſtat.

Gra-

Grata Seni, inde bonis contexit veſtibus Eſau
Jacobum ingenioſa parens, & lenibus aptat
Hædorum manibus pelles, operitq. paventis
Nudatum gnati ſimili velamine collum,
Inde cibos, paneſq. tulit, deferre Marito
Hæc jubet, & puerum trepidantem, atq; ire timentem
Sollicitat, donec Patri ſtat proximus ægro;
Tunc ait o Genitor? quis ſis da Nate Parenti
Longævus, cœcuſq. addit, cui talia fatus.
Eſt Jacob: ſum primus ego de ſemine natus
Eſau, qui rediens ſylvis tua juſſa ſecutus,
Quam cupis extemplo errantem per iugera, prædam
Inveni & noſtris cecidit confixa ſagittis.
Quam cito, Cœcus ait, præda eſt inventa; Jacobus
Hæc contra. Omnipotens illam, qui cuncta miniſtrat
Obtulit ante oculos, ſtraviq. hanc vulnere terris.
Surge igitur, comedaſq. cibos ex more palatum
Sæpe tuum ut poſcit, ſtructos ex ordine noſtros,
Meq., meoſq. tuo benedicas ore nepotes:
At fraudem veritus Genitor diſcrimine vocis
Ad lectum propius Jacob accedere juſſit,
Palpavitq. manus, ſtupiduſq. hæc prodidit ore.
Vox Jacob ſonat; hirſutum manus edocet Eſau.
Eſau tu meus es primus qui venit ad auras?
Me fateor talem, dedit hic reſponſa Parenti,
Apponitq. Seni ſtruxit quæ fercula Mater.
Ut ſatur eſt dapibus Genitor, vinumq. paratum
Hauſerat, accerſit gnatum, qui plura petenti
Oſcula libavit Patri, at fragrantia nardo
Indumenta ſenex ut ſenſit naribus, inquit:
Veſtibus ecce mei ſpirans odor undique Nati
Sicut ager qui vere novo ſe floribus implet,
Quem Deus Omnipotens benedixit, & ille ſuperno
Det tibi de Cœli rore, & pinguedine terre;

Hor-

Horrea triticeæ inclinent ſe pondere meſſis:
Nectareoq. fluant tua torcularia vino.
Te ſupplex populus colat, & Tribus omnis adoret.
Tu Princeps eſto fratrum, & domineris in omnes,
Et quicumque tibi fuerit mala Nate precatus
Ipſe ferat, dignaſq. luat pro crimine pœnas;
Qui fauſta: hunc donis Deus Æthere ditet ab alto.
Ignoto hæc Pater antiquus dedit omina Nato.
Si quis mendaci Jacob ſermone locutum
Illuſiſſe Patrem, culpamq. in Matre putavit,
(*a*) Multa figuratis volvet myſteria ſignis.
Numquid cum Mater geminos in ventre ferebat
Natos, non lapſas audivit ab Æthere voces
Servus erit major, verſa ratione minoris?
An ſua non petiit quæ jure leguminis alter
Vendiderat ſacro obſtringens ſe fœdere Jacob?
Alto afflata Parens ſpiramine pellibus illum
Induit, innocuum rudibus qui ſigna gerebat
Venturi quondam Divino flamine Nati,
Progenies eterna, hominum quæ carne nocentum
Se tegeret, pœnas alieno crimine ſolvens.
Hoc Iſac etiam novit velamine tectum
Arcanum, obſcurum, immenſum, immemorabile terris.
Neſcius incuſare dolis, nec vocibus illum
Increpuit, nec quod factum in contraria vertit.
Egreſſus ſylvis Eſau; dapibuſq. paratis
Ad patris & properans lectum, cui talia fatur:
Surge hinc venatuſq. mei, Pater optime, fructu
Veſcere, meq. tuus benedicat Spiritus. Audit
Ut vocem Annoſus, quiſnam ſit poſcit, & alter
Numne Ego ſum (Pater an neſcis?) tibi filius Eſau?
Iſac expavit, cœli velut ignibus ictus
Tunc ſtupet, immotuſq. manet, vox faucibus hæret!
Col-

(a) *Biel. in 3. Senten. Petr. de Aliaco in 1. Sent. q. 12. Aug. lib. con. mend.*

Colligit utq. animum, quiſnam fuit aſtubus, inquit,
Venatu captam qui nobis obtulit eſcam,
Guſtavitq. illam benedicens laura ferentem
Prandia, noſtra prius reditu quam tecta ſubires?
Hic benedictus erit, benedictio firma manebit,
Nec revocare datur. Quot triſtis ab ore parentis
Verba ſonant, animo gnati tot vulnera figunt.
Qui dolor at primo circum præcordia ductus
Opprimit exorſum gemitus, & promere voces,
Sed poſt alternis animus qui motibus actus
Vertitur in rabiem: vaſtam clamoribus implet
Inde Domum, labijs reſidet ſpumantibus ira,
Pallor in ore, oculis rutilans ſtat flamma retortis,
Calce quatit terram; nunc hiſpida pectora pugnis
Percutit, arrectæq. comæ, quas unguibus ardens
Dilaniat, ſtrepitum, horroremq. inſpirat Averni,
Præruptoq. ſono illacrymans hæc fudit ab ore:
Nulla tibi, Genitor, ſupereſt benedictio? tantum
Una eſt; haud aliam, qua me ſoleris, habebis?
Hanc tibi, qui minor eſt, Frater, (ſed fraudibus uſus)
Arripuit Jacob. Quidnam? ſuperaddidit Eſau,
Eſt ſupplantator. Factis vis nominis hæret;
Non ſatis huic fuerat primævi fraudibus ortus
Jura mihi eripuiſſe, Patris benedictio nobis
Ni quoque dempta foret: miſerum me quæſo dolentem,
Chare Parens, etiam benedicas; addidit Jſac
Quò poſſum te, Nate, modo benedicere? in illum
Cuncta tuli; Dominumq. tuum, fratrumq. tuorum
Inſtitui Jacob, ſtabilem quem fructibus agri
Frumento, ac vino, & natorum in ſemine feci.
Quid tibi nam ſupereſt? verum miſeratus obortis
Effuſum lacrymis, ſtridenti ac voce querentem,
Hæc ait: e Cæli rore, & pinguedine terræ
Sit tua, quam precor, o Fili, benedictio: vives
In gladio: Frater te ſub ditione tenebit.

Aſt aderit tempus, quo te cervice levabis,
Excutienſq. jugum, in gentes dominaberis armis.
Hæc is fatus erat: ſed cœcum in pectore vulnus
Eſau triſtis alit, meditans, Genitoris ut atra
Luctus orta dies, ferro transfigere Jacob.
Senſit ut infandum moliri crimina natum
Cauta Parens, quæ attenta oculis, ac auribus adſtat,
His monuit Jacob: non parva ruina parata eſt,
Nate, tibi; furiis Eſau perculſus iniquis
Te ſignans oculis, cædem, mortemq. minatur.
Quæ jubeo ne temne, procul concede; Labani
Tecta pete, hic tutam poteris traducere vitam,
Irarum donec fratris compeſcitur æſtus.
Inde domum redeas, dulciq. in pace quieſces.
Auferet una dies binos num funere natos?
Hæc ait; hoc inde aggreditur ſermone maritum:
Has ſibi conjugio quas Eſau junxit, Hethœas
Dedignor, tædetq. dies producere vitæ,
Ac morti occumbam, ex iſta ſi forte puellam
Suſcipiat Jacob ſtirpe, ac ſibi fœdere jungat;
Audit ut hæc Iſac, Jacobi his vocibus aures
Pulſat: Nate meos monitus ne deſere, ſponſam
De Chananeorum caveas tibi jungere gente;
In Meſopotamiam ad Bathuel, quo nata Rebecca,
Migra, & Labáni natam de germine ducas;
Te Deus Omnipotens benedicat, proleq. reddat
Multiplici lætum, atq. tuo de ſemine gentes
Innumeræ exurgant, &, quos peregrinus adibis,
Poſſideas fines, veluti promiſit Abramo.
Hoc Jacob monitu ad Syrios iter arripit agros,
Amplexuſq. ſuos, Matremq. Patremq. reliquit.

GEN. LIB.

GENESIS
LIBER TERTIUS.

UT videt egreſſum patria de ſede minorem
Ducturum, ut Genitor juſſit, connubia fratrem
Eſau, deſpectaſque odio Genitoribus audit
Eſſe ſuas multo ductas diſcrimine ſponſas,
Iſmael e populo Maheleth, Nabaiothq. Sororem
Addixit thalamo ſperans hoc fœdere Matrem
Solari, tactumq. gravi mœrore parentem.
Interea Jacob dimenſus longa viarum
Strata, cadente die, primiſq. micantibus aſtris,
Nocturnæ inſtituit tandem dare membra quieti
Sub divo, qua mons alto ſe vertice tollit,
Hunc Mariath dixere Patres, Templumq. futurum
Hic (*a*) erat, æterno ſedes gratiſſima Regi,
At prius in molli quam gramine ſterneret artus
Diſperſos circum lapides per jugera cogens
(Queis Abraham hic (*b*) olim ſacras extruxerat aras)
Suppoſuit capiti, & paulatim lumina claudit.
Irrigat ut ſomnus dulcem per membra quietem,
Telluri incumbens, tangenſq. cacumine Cœlum
Viſa illi Scala eſt, graduum cui millia centum;
Hinc

(a) *Apud Lyran., Caiet., Lipom.* (b) *Auguſt. in Geneſ. 9. 93.*

Hinc aſcendentes, deſcendenteſq. videbat
Angelicas mentes Juvenum pulchra ora ferentes,
Et Scalæ innixum, cui vivunt omnia, Regem.
Hoc oculis fuſum mentis mirabile monſtrum
Magna monet rebus ſecreta explenda futuris.
(a) Terris Scala Polum jungit: via pandit ab alto
Venturum puerum nobis, hominemq., Deumque,
Terrigenis miro Superos qui fœdere junget,
Aſcendentq. ſuper qui tartara in ima ruebant.
Summa tenens Scalæ faſtigia Rector Olympi,
Ipſe ego ſum, dixit, Patris Deus almus Abrami,
Et Deus Iſaci, cujus tu ſanguine cretus:
Hanc tibi, feſſa jacent qua nunc tua membra ſopore
Dulci, conſtituam terram, propriamq. dicabo,
Prognatiſq. tuis; veſtro de ſanguine nati
Æquabunt athomos, & erunt per ſæcla potentes.
Imperium extendes occaſu ſolis ad ortum,
Inque tua ſeptem latos ditione Triones,
Quiq. diem medium, populos coluere, tenebis;
In te gens omnis ſæclis benedicta futuris,
Tantaq. venturos maneat ſpes firma nepotes.
Sic Deus: exurgit Jacob, & mente repoſtum
Arcanum verſans, ſomno quod viderat alto,
Exclamat: vere Deus hac in ſede moratur,
Nec noram, ſed nunc mirus fert noſcere viſus.
Quam terribilis locus hic! exterritus addit,
Non niſi magna Dei Domus hic, & janua Cœli.
Poſtea ſuppoſitum capiti memorabile ſaxum
Inde tulit, fundenſq. oleum monimenta ſacravit
Hoc æterna Deo, miſitq. has pectore voces:
Magna Dei Domus, hæc celebris tanto omine ſedes
Dicetur; Luzæ, nomen dein vertitur Urbis
In Bethel, arcanis vox immutata ſupernis.
Tandem hæc æthereo Regi converſus ad aſtra

N 2 Vota

(a) *Epiph. contra hæres. hæreſ.30.*

Vota tulit manibus panſis, genibuſq. volutus:
Si mecum fuerit Deus, & defendet euntem,
Quo veſcar dederit panem, veſtemq. parabit,
Qua retegar, tutuſq. patris pia tecta reviſam,
Tunc erit ille mihi ſemper Deus; illius aram
(Cui manibus ſaxa iſta meis erecta manebunt,
Et Domus alma Dei longum dicentur in ævum)
Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus,
Et quocumq. illi decimas ex ſemine rerum
Offerre haud deero doni non immemor alti.
Hinc iter aggrediens cœptum, ſucceſſerat agro
Surgit ubi puteus, quem circum multa jacebat
Triplex turba ovium, & vigilans ſedet aggere Cuſtos
Expectans, undam extraherent ut fontibus, omnes
Cum pueri properante greges jam nocte reducant,
Obſtruitur magni puteus nam pondere ſaxi,
Nec prius hoc illis mos tunc devolvere, paſta
Quam ſua quiſq. redux armenta coegerit arvis.
Interea placido Jacob ſic ore locutus:
Vos unde o Fratres? reſpondent, venimus Haran:
Ac rurſus numquid Nachor de ſtirpe Labanum
Noſtis? Et hi: noſtrum cui non ſit cognitus iſte?
Et ne hic incolumis? Valet, at ſi diſcere plura
Optas, en Rachel Labani Filia ducens
Huc armenta venit. Supereſt pars longa diei,
Tunc Jacob addit, non eſt ad ovilia tempus
Ut redeant pecudes; illis effundite potum,
Ac ſaturas undis rurſus deducite ad agros.
Hoc ſe poſſe negant illi, niſi pinguia cogant
Omnes armenta, & puteo communis ab alto
Volvatur lapis, antiquus ſic poſtulat uſus.
Interea Mulier niveo pulcherima vultu,
Caſta oculis, ac ore gravis, quæ paſſibus æquis
Incedit, ducitq. greges, acceſſit, & illum
Virgineo capitis nutu, verbiſq. ſalutat.

Obſtu-

Obſtupuit tanti Jacob ſplendore decoris,
Atq. ſua innocuum per viſcera ſenſit amorem,
Et lapidem e puteo volvit, quo copia ductis
Undarum effuſa eſt gregibus, tum plurima pulchræ
Oſcula libavit Rachel caſtiſſima fronti,
Et vocem attollens lacrymas, & gaudia miſcens,
Ipſe tui Frater Patris ſum, dixit, in auras
Has, me nam genuit Laban germana Rebecca.
Hinc ambo venis, & eodem ſanguine creti
Nos ſumus, ac arcta conſanguinitate propinqui.
Quæ ſimul ac ſenſit Rachel, Matremq., Patremq.,
Agnatoſq. monet vultu veniſſe decorum
Huc Juvenem Jacob dictum, natumq. Rebeccæ.
Laminam ut agricolæ duplicem per rura vagantes
Excutiunt, ſtrepitumq. ferunt, ſonitumq., videtur
Tunc examen apum ſparſis volitare catervis,
Auditoq. ſono, pendere ex arboris ulnis:
Vox ita cum Laban ſparſa eſt habitacula circum,
Devenere citis ad Jacob paſſibus acti
Matris amicitiæ, vel fœdere ſanguinis omnes.
At prius huic Laban læto obvius ore cucurrit,
Quem complexus ovans dulciſſima in oſcula præceps
Irruit, induxitq. domum, petiitq. viarum
Cauſas, auditis, animo ſic fatur amico:
Tu caro es, oſq. meum, e noſtræ nam ventre Sororis
Ortus, & ex noſtro tuus eſt de ſanguine ſanguis.
Ex quo cognatas Jacob habitaverat ædes
Unius excurrens componitur orbita menſis,
Cum ſic alloquitur peregrinum ex Bathuel ortus:
Num, quia tu frater meus es, famulabere nobis,
Nec Tibi pro tanto merces erit ulla labore?
Jam Laban binæ fuerant de conjuge natæ;
Major erat Lia, eſt oculis non integra lippis;
Eſt annis Rachel minor, & pulcherrima viſu,
Quam redamans Jacob dedit hæc reſponſa Labano.

Da mihi Rachelem nuptu, non æquior ulla
Hac fuerit merces, ſatis eſt, ſeptemq. per annos
Ipſe tuas paſcam pecudes, cui talia Laban
Reddidit: hanc tecum ſociali fœdere jungam,
Namq. ego cui potius valeam conjungere natam,
Quam Tibi, quem generis pia nobis vincula nectunt?
Paucos eſſe dies promiſſi tempore Jacob
Servitii duxit, tanta eſt ſub pectore flamma!
Omne opus huic gratum levis ars, dulceſq. labores;
Omnia vincit amor; nullum grave pondus amanti.
Præteriere anni, tempuſq. advenit amicum,
Quo pactis Jacob gaudens ſe jungere nodis
Aggreditur Laban dictis promiſſa repoſcens.
Annuit, indixitq. diem ad connubia lætum
Ille quidem, at tacitam meditatur pectore fraudem.
Non jam Rachelem, at mendoſam huic tradere Liam
Cogitat; interea agnatos hic convocat omnes,
Conveniunt & lauta ſimul convivia ducunt.
Liam igitur (dedit ancillam cui nomine Zelpha)
Ignotam thalamo per nigra ſilentia noctis
Compoſuit, pactamq. fidem, promiſſaq. fregit.
Jamq. exorta dies ſponſam, thalamumq. doloſum
Expoſuit Jacob oculis, miratus, & æger
Indoluit, cauſaſq. petit cognoſcere fraudis;
Convenit hinc ſocerum: quænam fraus tanta? quid egit
Mens tua? quoſue dolos auſus componere nobis?
Non jam pro Lia, ſed pro Rachele ſubivi.
Annorum ſeptem noctuq., diuq. laborem.
Qua violare fidem alternam, qua frangere legem
Arte potes? Sic læſus honor? ſic temnitur æquum?
Fraudibus a cæcis at ſe purgare paratus
Hæc Laban: mos eſt hac in regione marito
Jungere majorem natu, expectare minorem
Jura ſui thalamo quæ temporis apta ſequantur,

At-

Attamen implebunt Liæ ut connubia curſum
Cœpta dierum, etiam Rachel tibi ceditur uxor.
Aſt alios nobis ſeptem famulaberis annos.
His placidus dictis Juvenis, monitiſq. quieſcens
Motibus abſtinuit juſtis, animumq. remiſit.
Præteriit tandem conſueta hebdomada legis,
Rachelemq. ſuam poſt tot diſcrimina cœpit,
Cui pater addixit famulam de nomine Balam.
Uxoris Jacob leges utriuſq. parentum
Implet more ſacras, Rachelis pectora major
Mordet amor; Liamq. ſinu tenet ille ſecundam;
Sortis nemo ſuæ contentus munere vivit;
Pulchra ore eſt Rachel, aſt infœcunda gemiſcit;
Fit Mater, turpi queritur ſed imagine, Lia.
Hanc humilem, ſpretamq. viro Deus omnia noſcens
Reddidit extemplo tumidam, natumq. creavit,
Quem dixit Ruben, hæc viſio nomina ſignat,
Namq. meum, dixit contemptum vidit ab alto
Axe Deus, matremq. magis me ſponſus amabit.
Inde alium noni genuit poſt tempora menſis,
Et quoniam abiectam Omnipotens audiverat illam,
Appellat Simeon, jungitq. vocabula rebus.
Tertia jam proles aderat concepta parenti
Cui nomen Levi; mihi nam, copulabitur, inquit
Vir meus, ut ternos illi de germine natos
Tam fœcunda tuli, proleſq. eſt nulla Sorori.
Jam prope lux aderat, qua natum ad lumina quartum
Ederet, atq. Deo quia laudes obtulit alto
Impoſuit Sanctum Judæ, & laudabile nomen;
Hinc aliqui cœpere anni decurrere inanes
Fœtubus; interdum genitis hæc gaudet alendis;
Indoluit ſterilem Rachel ſe ducere vitam
Aggrediturq. virum impatiens, ac talia fudit:
Da mihi, ni morior natos, cui percitus ira

Con-

Conjux; numquid ego Deus? an tibi viſcera clauſi?
Illacrymans reſponſa dedit: miſerere dolentis;
Ingredere ad Balam, nobis quam cura parentis
Conſtituit famulam, qua ſaltem concipe prolem,
Namq. aliquo ſterilem faciet me pignore lætam,
Excipiamq. genu viſum qui venerit auras.
Annuit his monitis Jacob; quo fœdere primum
Bala parit natum, voces è pectore Rachel
Has dedit, Omnipotens me pondere judicat æquo,
Ac miſeræ audivit clamantis ab Æthere vocem,
Qui datus, hic ideo Dan appellabitur Infans.
Rurſus Bala uterum, completo temporis orbe
Exonerat fœtu, quo Rachel germine clamat:
Reddidit ecce parem Deus hac me ſorte Sorori,
Nunc ego ſum felix, & facta potentior illa,
Si quondam invaluit. Sic ars deluditur (*a*) arte
Jure puer luctam dicetur Nephtali ſignans.
Lia ſed interea non amplius ulla marito
Pignora concipiens, ut vinceret arte Sororem
Tradiderat ſponſo Ancillam pro conjuge Zelpham;
Quæ enixa infantem Dominæ deponit in ulnis;
Hunc videt, exultans animo, feliciter, inquit:
Unde Gad obtinuit jubilantis nomina plauſu.
Nec proles hæc ſola fuit, venit alter ad auras
Zelphæ ventre puer, nomen cui convenit Aſer,
Nam Lia excipiens genibus, complexaq. natum
Dixerat: O vere tanta me prole beatam!
Tempora meſſis erant, Rubenq. egreſſus in agros
Mandragoras viridi quas campo invenit olentes
Matri dona tulit, cupiens quas invida Rachel
Poſcere ſupliciter fructus eſt, orſa Sororem.
Illa ſupercilio arrecto, tum voce ſonanti
Hæc ait: Anne parum tibi ſubripuiſſe maritum
Sæpe meum, niſi Mandragoras quas filius offert

Nunc

(a) *Vide Calmet*.

Nunc mihi ſubripias? placida quibus altera verbis
Addidit: en cedo ſponſum, ſecumq. jacebis
Hac nocte. Haud tanto tarda eſt concedere pacto
Major dona ſoror, thalami cui ceditur uſus.
Munere ſæpe levi ſic femina vendit amorem.
(a) Mandragoras quædam dicunt arbuſcula pomis
Fulta ſuis, cornu ſpeciem referentibus, auri
Queis color, ac nimium ſuaves funduntur odores:
Fama inter Veteres quondam fuit, illa ſaporem
Inſpirare gravem, & fœcundas reddere matres,
Has ideo Rachel, mordet quam longa cupido
Natorum, expetiit, tanto medicamina morbo
Si qua darent, hoc rore ſuam ut conſperſerit alvum:
Multi multa ferunt. Tandem Sol occubat undis,
Cum Jacob, qui longe aberat, pacti inſcius, ædes
Rure venit, cui læta fuit procul obvia Lia,
Excipit hunc manibus panſis, vultuq. ſereno
Talia ab ore ferens: hac mecum nocte quieſces,
Emi Mandragoræ nam te mercede, ferebat
Quam noſter Ruben, at Rachel ego munera ceſſi.
Obſtupuit Conjux, tacitoq. in pectore volvit,
Femina quam fuerit varium, & mutabile ſemper;
Sed, ne fœda domum turbet diſcordia, Liæ
Occubuit lecto, nec pactum incuſat amorem.
Præteriere dies, nonæ qui tempora lunæ
Implerent, quintumq. gravi natum edidit alvo,
Quem veluti mercede datum (nam ſponte marito
Junxerat ancillam) facti cognomine ſignat
Iſachar; hinc alii cœpere excurrere menſes,
Et genuit Sextum, exclamans me dotibus Author
Rerum complevit magnis, mecumq. jacebit
Rurſus vir meus, ut genui ſex ordine natos.
Zabulon unde puer noſcetur voce potitus.
Ultima natorum, primis quæ veſcitur auris

O Dina

(a) *Dioſcorid. lib. 4. cap. 76. Ariſtotel. lib. 11. de gene. Anim.*

Dina fuit, multi hanc nuptam commenta ſequentes
Cæca volunt Jobo patientis nomine claro.
Sed tandem divina gravem miſerata dolorem
Majeſtas avidæ generis, ſterilisq. parentis
Dilatans, reſeransq. vias, quas clauſerat, alvi,
Reddidit egregia Rachelem prole parentem;
Nam fuit hæc Joſeph, quo tot poſt ſæcula noſtro
Venturi auxilio Regis non rettulit alter
Clarius effigiem, cujus memorabile nomen
Matris in ore fuit, cum dixerat abſtulit omni
Me Deus opprobrio, uberibus ſic pendeat alter,
Atq. novo lætam reddat me germine Numen.
Vix ortus Joſeph, Laban convenit Iſaco
Natus, & hæc illi: ne deſpice verba precantis,
Da patrias reditum ad ſedes, da cedere terris,
Quas ætate ſenex longa pater incolit Iſac,
Faſq. ſit uxores, & cunctos ducere natos,
Pro quibus ipſe tuum tam longo tempore paſſus
Servitium, paviq. greges, armentaq. duxi.
Cui Laban: tibi gratus ero: me namq. ſupernus
Cœlicolum Rector donis nil tale merentem
Te propter cumulat, docet experientia verum.
Quam tibi conſtituam mercedem, poſce laborum.
Tunc ait Iſacides: noſti qua ſedulus arte,
Quaq. fide tua curarim, quam creverit agris
Res tua, namq. prius quam tecum ducere vitam
Cœpiſſem, paruus tibi grex, & copia lactis
Parva fuit: poſtquam cuſtos ad ovilia veni
Te vidi agminibus pecudum, rebuſq. potentem,
Nam Deus Omnipotens placido me lumine cernens,
Te, ſobolemq. tuam ſolio benedixit ab alto.
At nunc me natis ſimul, atq. uxoribus æquum
Conſulere. Hæc contra Laban: quæ præmia poſcis?
Nulla inquit Jacob, verum ſi feceris ore

Quæ

Quæ loquor ingenuo, pecudum me rurſus habebis
Cuſtodem, atq. iterum paſcam cum matribus agnos.
Nunc precor armenta i circum; ſegregentur ab albis
Ac nigris variæ, ſparſo & quæ vellere natæ;
Si fuerint furvæ, maculiſq. in tergore pictæ,
Caprarumq., oviumq., meis hæc ſola manebit
Tot curis merces; tempus cum venerit agnos
Viſendi, numeroq. tuos agnoveris æquo,
Tunc mea cana fides omni defendet ab aſtu,
Multiplici pecudes, capræq. colore carentes
Me furem incuſſent, & turpi fraude notabor.
Hæc Socero placuere: greges inviſit, & omnes
Tunc varias capras, & oves ſegregavit, & hircos,
Arieteſq. altos; alios, albuſq., nigerque
Queis color eſt unus, natis dimiſit alendos
Ille ſuis; ſpatiumq. trium via longa dierum
Dividit a gregibus Jacob armenta Labani.
Interea arboribus decerpit vimina multis,
Aut populi, aut eſſent platani, viridantia cautus
Iſacides, paſſimq. pari moderamine cultri
Partem virgarum nudavit cortice, partem
Prorſus in integro ſervatam margine liquit,
Candidus unde color, viridiſq. apparet, & offert
Hinc oculis fuſum maculis, variumq. nitorem.
Rivos ante leves, per quos dilabitur unda,
Expoſuit virgas, balantum ut lumina viſu
Tacta forent avidè venientum ad flumina potum
Tempore, quo generis cupidæ ſubduntur amori,
Ingenio hoc igitur concepta ab imagine nato
Quæq. eſt viſa ſuos maculoſos gignere mater.
Dividit inde gregem, arietumq., oviumq. reponit
Ante oculos albas, aut nigras cortice virgas,
Ut parerent aliam, Socero quæ debita, partem.
Extremo ut matres progignunt tempore, nulla

 Virga

Virga eſt, maturæ arbitrio ſua jura relinquit.
Prima igitur Jacob, ſerotina pignora Laban
Vellere noſcuntur, magnaſq. hac providus arte
Divitias parat Iſacides: ſi computet omnes
Ancillas, ſervos, pecudeſq., aſinoſq., cameloſq.
Invidiæ rabies natorum pectora Laban,
Ut Jacob videre gregum, rerumq. potentem
Invaſit, patremq. adeunt, ac talia fantur:
Jam tua, quæ fuerant, hoſpes habet omnia Jacob,
Ex noſtris oritur caulis cui magna ſupellex,
Omnium inops noſtris ſucceſſit ſedibus; olim
Ad ſua tecta potens famulis, gregibuſq. redibit,
Atq. ſuos ditans natos nos reddet egenos.
Intumuit Laban dictis, & lumina juſtum
Adverſa in generum torſit, nec ut ante ſolebat
Eſt hilari in Jacob vultu, nec fronte ſerena;
Jam notas reddit voces: hinc ira notatur.
Senſerat hæc Jacob; etiam Deus ore locutus
Me in patriam, dixit, ducente revertere terram;
I viſum genus omne tuum dat vocibus aures,
Rachelem, Lianiq. jubet ſuccedere campis,
Eſt ubi grex omnis, qui pinguia paſcua tondet.
Poſt ita conjugibus ſermonem conſidet orſus:
Veſtri in nos facies Patris immutata; retorquet
Iratos oculos, vultu nos excipit atro,
Nec tenerum nobis, ut quondam, ſervat amorem;
Jam vobis mea nota fides, notiq. labores,
Quos ſubii veſtri dum paſco armenta Parentis,
Ille decem vicibus contra me prodidit aſtu,
Immutans æquo mercedes fœdere pactas;
At Deus omnipotens omni me a fraude tuetur,
Nam varias ut oves nobis pro munere ſpondet,
Tunc vario matres genuerunt vellere fœtus;
Albas ut ſpondet, ſuper alta cacumina lapſas

Tunc

Tunc vicere nives geniti de matribus agni,
Quæq. patris fuerat veſtri pars, abſtulit omnem
Et nobis tribuit pravum metitus, & æquum
Lance pari Dominus, qui me per ſomnia viſu
Admonuit miro, verumq. ab imagine duxi,
Namq. mares ovibus maculoſos vellere jungi
Non tantum aſpexi, aſt etiam vox auribus hæſit.
Hunc viſum meditare; mihi quæcumq. Labanus
Facta tibi ſtant nota ſatis; Deus ille fidelis
Sum Bethel, ubi ſaxum oleo ſtat rore madeſcens,
Illud adhuc audita mihi tua vota reſervat;
Surge igitur, terraſq. tuas, ubi natus, adibis.
Me ſocer hac tandem recreat mercede Labanus
Poſt curas ovium, poſt tot diſcrimina rerum.
Hoc nos exemplo Jacob, uſuq. monemur,
Ingratis ſervire nefas, conſumitur ætas,
Ingeniumq. ſagax, odiumq. eſt ultima merces.
Hoc Lia, & Rachel facto indignata parentis
Utraq. compoſito monuit ſermone maritum:
Quæ nobis reſtat ſpes in Genitore? quid ultra
Expectamus? opes an nobis congerit ille?
Nos humiles veluti famulas & vilia duxit
Mancipia, haud puduit tibi nos cum vendere pactis.
Nonne illi merces fuimus, pretiumq. comedit?
Jure Deus Genitoris opes, armentaq. nobis
Tradidit, ac natis; ne temne audita Superni
Juſſa Dei, imperiumq. tuum nos inde ſequemur.
Utraq. ut auditur connivens nutibus Uxor,
Ire parat, natos cogit, famuloſq., gregeſq.
Haud mora, nec ſpatium; circumſtant undique prompto
Uno omnes animo, ancillæ, ſervi, pueriq.
Confuſæ, attoniti, impliciti manibus, pedibuſq.
Hinc onerant aſinos, & equos, onerantq. camelos,
Hic pecudi, hic inſtat bobus, trahit ille juvencos;

Hac

Hac illac Jacob concurſat, & omnibus adſtat;
Convectantur opes, veſtes pretioſa ſupellex,
Et quæ ſollicita Jacob erat arte lucratus,
At quæ ſunt Laban furaci abducere dextra
Non audent: It ſola Rachel, & idola Parentis
Subripit, at Jacob mens non ſit conſcia facti,
Quæ ſymulacra Deum raptorum in imaginis uſu
(a) Tunc fuerint, veterum varia eſt ſententia patrum.
Excoluiſſe ferunt mendaci numina cultu
Progenitum Bathuel, Teraphim quæ nomine dicunt;
Conſulere antiqui hæc ſoliti, certoq. putabant
Signa futurarum augurio portendere rerum;
Autumat authorum Sacrum pars altera nomen,
Hoc Teraphim duxiſſe ſuas in origine cauſas
A Seraphim, noſtris qui quondam patribus alto
Delapſi Cœlo ſe oſtendere ſæpe ſolebant.
Credere quis poterit ſanctum, veriq. tenacem
Iſacum miſiſſe ſuo de ſanguine natum
Ad Laban deditum nugis, & idola colentem?
Illa domus potius quodam ſculptilia luxu
Credimus argento, atq. auro conflata deorum,
Quam ſimulacra ſulis coleret quæ Laban in aris.
Non Socerum monuit, ſed clam loca inhoſpita liquit,
Arripuitq. fugam magna comitante caterva
Iſacides, donec rapidas Euphratis ad undas
Pervenit unde vadum prærupto gurgite arenis,
Dans iter erigitur; Thapſaco forte propinquum,
Hic ſponſas, natos, famulas, armentaq. cautq;
Trans pede mittit aquas, ſolidoq; in littore ponit.
Inde viam Galaad (tranſlato nomine Jacob
Quæ tenuere, Sechir veteres namq. ante vocabant)
Ad montana ſecans, illic tentoria fixit.
Tertia jam lumen terris Aurora ferebat,
Ex quo cum turba Iſacides properante ſuorum
Effu-

(a) *Vid. Mar. Ficin. Triſmegiſ. in Aſclepiad., & alii.*

Effugit, pecudes Laban tondente remotas,
Cum ſincera fugæ, atq. infandi nuncia furti
Huic reddunt famuli, tecti qui limina ſervant,
Flumen ut exiguo erumpens a fonte vagatur
Leniter, & paſſim vires acquirit eundo,
Obvius excipiens creſcenti in gurgite rivos,
Cumq. aliis alii ſuccedunt tramite longo,
Tollitur, it ſpumans, & metas marginis æquat,
Mox ſi, quas nubes fundunt, de montibus altis
Præcipites labuntur aquæ, non ſubſtinet alvo
Claudere multiplici venientes turbine fluctus,
Egrediturq. ſuo magno cum murmure lecto,
Vicinos vaſtans, nullo preſſum argine campos.
Haud aliter Laban multis qui viderat auctum
Divitiis generum primæ jam motibus iræ
Actus erat, tacitus ſed nutrit pectore vulnus,
Ut vero arreptæ patuerunt ſigna per agros
Certa fugæ, excrevit mediis dolor oſſibus hærens,
Et magis, atq. magis raptis augetur Idolis.
Tum celer accerſens fratres iter arripit una,
Acceleranſq. viam, & veſtigia nota reluſtrans
Anxius inſequitur fugientum protinus agmen,
Nec requieſcit enim donec lux ſeptima ſtellas
Effugat, ac turbæ Galaad in monte repertæ.
Caſtra illic fixit dum ſole cadente quievit
At Deus in ſomnis Laban in parva furentem
Agmina commonuit ne quidquam auderet iniquum
Profari in generum labiis; ſic cura ſuorum
Magna Deo eſt, ſic innocuos, ſanctoſq. tuetur.
Conqueritur Laban tamen, & quæ pectore condit
Prodidit his Jacob dictis: cur noſtra relinquens
Arva fugis? cur ignarum me deſeris, audens
E nobis genitas ceu belli jure ſubactas
Eripere, ac alios profugas deducere in agros?

Cur

Cur nobis ignota fuga eſt ? me reddere ſaltem
Debueras certum, ſociaſſem carmine natas,
Et ſyſtris, cytharisq. meas, comitante colonum
Turba; compoſito ſequerentur in agmine euntes,
Gaudia qui ferrent, concentu animoſq. levarent.
Cur te, quem patrio excepi complexus amore,
Tam cito ſubducis noſtris ab oviiibus ultro ?
Cur Patrem amplecti natas; & plurima fronti
Oſcula ferre vetas ? animo hæc operatus iniquo es.
Poſſem equidem meritas nunc de te ſumere pœnas,
At Deus irato ne quidquam proloquar ore
Te contra heſternæ juſſit per ſomnia noctis.
Quod ſi mens fuerat longævum viſere Patrem,
Et natale ſolum mea cur furatus Idola ?
Hæc contra Jacob occultæ cognita vobis
Sit modo cauſa fugæ: timui ne viribus uſus
Auferres nataſq. tuas, parvoſq. nepotes;
Verum, cum furti incuſas me, falleris, enſe
Occumbat, foedumq. luat cum ſanguine crimen,
Si tua quis noſtrum ſimulacra erepta recondit.
(Præpoſitos domui primæva ætate Parentes
Lex erat in cunctos jus mortis habere minores)
Pergit adhuc Jacob: ſcrutare, atq. aſpice, an ullus
Effigies celet raptas, quas ipſe requiris.
Neſcius, hæc inquit; Rachelem crimine læſam.
Nulla fides Genero; concurſans undique Laban
Ferte mea huc clamat, mea ferte Idola rapaces,
Et ſimul ipſe, ſimul ſocii tentoria greſſu
Sollicito penetrant, ſpectant, pars nulla locorum
Intentata manet, prima, ac poſtrema reviſunt,
Expediunt faſces, & quæ ſunt tecta reſolvunt.
Ducta velut ſylvas per opaca ab odore ferarum
Turba canum defixa oculis, ac naribus inſtat,
Rimatur valles, & nunc per aperta vagatur

Explo-

Explorans latebras, nunc & ſpineta requirens,
Ut fera ſubducta eſt illinc circumſona latrat,
Et repetit languens dimiſſis jugera caudis.
Haud aliter Laban oculis, Sociiq. laborant
Undiq. curſantes fruſtra, nam ſedula vultu
Impavido Rachel ſubter ſtramenta cameli
Condidit effigies, & deſuper inſidet audax,
Hæc addens patri: quæſo nè iraſcere, cernis
Ni me aſſurgentem tibi, ceu præſentia Patris
Poſcit, nam ſolitis nequeo nunc ſurgere cauſis.
Atq. hac deluſit quærentem immobilis arte.
Femina prompta dolis, ſemperq. eſt fraudibus apta.
Poſt hæc intumuit Jacob in jurgia rumpens
His animum dictis: cur me intentatis, & omnes
Hos comites? Cur noſtra modo explorata ſupellex?
Quæ tua ſunt affer, produc, da noſcere cunctis
Fratribus, ac me, teq. inter ſtatuantq., ferantq.
Judicium noſtro certum de crimine, & æquum.
Ipſe ego viginti tibi ſum famulatus in annos
Bis ſeptem, uxorum complerem ut pacta mearum,
Et ſex pro gregibus, nec me cuſtode dolebas
Nulla tibi capras, tibi reddere nulla bidentes
Pignora, nec veſtris aries ab ovilibus unquam
Sublatus furtim mihi fercula grata paravit,
Si lupus è Sylvis aſſuetus vivere rapto
Agnum de gregibus raperet, te noſcere furtum
Haud volui, at noſtri libens mercede laboris
Reddere promptus eram depaſtum dente ferarum,
Tu contra exigere a nobis quæ forte perirent.
Me ſol ignitis æſtate perurere telis,
Perq. hyemem Boreas ferus exſiccare ſolebat.
Heu quot ego ſomni duxi ſine munere noctes!
Quot caput objeci noctuq. diuq. periclis!
Sylvarum penetrans latebras & inhoſpita rupum

Ne quas arriperent pecudes indagine fures,
Aut Lupus, aut Urſus, tectæ aut mala beſtia ſylvæ.
At te mercedem toties mutare bidentum,
Nec toties noſtros puduit reparare labores,
Et ſi non aderat miſero, auxiliumq. ferebat
Abrami, Iſaciq. Deus, tu forſan egentem
Omnibus ad Patriam rurſus ſecedere terram
Juſſiſſes generum; at longum, aſſiduumq. laborem
Reſpexit miſerans Deus, & dum fervidus ira
Innocuum inſequeris, mediis ille arguit umbris
Te merito hæc propter. Tunc Laban: deſine queſtus
Fundere. Nonne olim te inopem, cunctiſq. carentem
Excepi? armentis nunc, ingentiq. caterva
Servorum Patrias remeas ſtipatus ad ædes.
Hæc mea ſunt, Sponſæ, nati, pueriq., gregeſq.,
Queis ultra natas, parvoſq. augere Nepotes
Divitiis poteram? Satis hæc: ſtatuamus amicum
Fœderis æternum, ſacrum, inviolabile pignus;
Inter nos pacem, alternum & ſervemus amorem.
Erigit in titulum lapidem pro fœdere teſtem
Jacob, alloquiturq. ſuos hoc ordine fratres:
Ferte citi ſaxa, ac illi data juſſa ſecuti
Extollunt tumulum, lætiq. hinc inde ſedentes
Veſcuntur dapibus, quas grex, & rura ferebant.
Quem Laban teſtis tumulum appellavit, acervum
Indicij Jacob, quiſq. uſus voce parentum,
Namq. ille ore tulit Jegar Schhaddutah; & alter
Protulerat Galaad, qua terris nomina fecit
Voce: unde exoritur Galaditica turba nepotum.
Hæc inde eſt fatus Laban; erit ipſe per ævum
Æternum tumulus teſtis, quæ fœdera nobis
Pacta olim fuerint, & nos Deus æthere ab alto
Inſpiciens oculo per ſæcula judicat æquo.
Cum noſtrum ſua quiſq. abſens ad tecta redibit,

Si

Si noſtras pravo natas vexaveris uſu,
Atq. alias lecti ſociaris fœdere ſponſas
Nullus teſtis adeſt, at qui videt omnia præſens
Eſt teſtis Deus, & noſtro de fœdere Judex.
En lapis, en tumulus, quem nos ereximus ambo,
Sint teſtes, ſi primus ego ſacra fœdera rumpam,
Atq. has præteriens metas tibi damna parabo,
Aut tu tranſiliens mihi bellum indixeris audax.
Nos Abram, Nachorq. Deus condemnet iniquos,
Judiciumq. ferat. Sacri tunc ordine ſigni
Juravit Jacob, magnumq. vocavit Iſaci
Ore Deum teſtem, cui poſt in montis eodem
Vertice devotus ſacratos libat honores;
Fratres inde ſuos accerſens prandia menſis
Lauta parat; juſſitq. moras, aſt ante nitentem
Auroram exurgit Laban, qui plurima natis,
Atq. harum pueris lacrymis dans oſcula fuſus
His benedixit ovans, inde ad ſua tecta redivit.
Promptus carpit iter Jacob, quod cœperat: illi
Obvius apparet juvenum ſub imagine cœtus
Angelicus, ſocijs queis, altas lætus ad aſtra
Emiſit voces: hæc ſunt fortiſſima noſtri
Caſtra Dei; Mahanaim locus iſte vocabitur olim,
Hæc inter Sehir in terras, ubi tenditur Edom
(Eſau dat rufus, vel rufa legumina nomen)
Nuncia qui ferret fratri velocia miſit,
Et monet his pueros; intenti hi juſſibus adſtant.
Eſau vos fratri, dominoq. hæc dicite noſtro.
Hœc Jacob: frater, Laban peregrinus in æde
Hactenus exegi vitam, pecudeſq., aſinoſq.
Mecum, atq. ancillas, ſervoſq., armentaq. duco.
Ut me tranquilla noſcas accedere mente,
Et placida excipias fronte ad Patris arva migrantem,
Hos tibi præmiſi pueros; ad ſtrata viarum

 Juſſi

Juſſi adeunt, ac mox regreſſi talia promunt:
Quadrigentorum magna comitante caterva
Huc properare Eſau: perterritus agmine Jacob
Uxores, natos, famulas, pecudeſq., boveſq.,
Atq. camelorum turmam, & gregis agmina viſit,
Inq. duas belli diviſit more cohortes;
Hæc ſecum: iratus ſi frater venerit Eſau,
Percutiatq. unam, ſalvabitur altera, turmam,
Inde oculos lacrymis madidos ad ſydera tollens
Has pavido ſupplex fudit de pectore voces:
O Deus alme Abraham, Iſaci Deus almi Parentis,
Tu me juſſiſti patriis ſuccedere terris.
Ortus ubi quondam fueram, auxiliumq., manumq.
Pollicitus, quamquam tali non dignor honore,
Sed tua verba manent, nec ſpe nos fallimur ægri,
Fundere in immeritos etiam tua munera gaudes,
Ipſe ego ſupremæ novi pietatis amorem.
Non hominum meritum, ſed te metiris amantem;
Has olim pauper Jordanis fluminis undas
Præterii baculo innixus, nunc ecce duabus
Tranſgredior turmis, me fratris ab enſe timentem,
Eripias, natoſq. meos cum matribus aufer.
Tu me divitiis auctum, gregibuſq. potentem
Viſurum ex iſto dixiſti ſemine gentem,
Quæ Cœli ſtellas, pelagiq. æquaret arenas;
Mox ibi cum placidam cœpiſſet nocte quietem
Duxit ab armentis quæ fratri munera vellet
Ferre ſuo, pingues bis centum ex agmine capras,
Viginti fortes hircos, pecudeſq. ducentas,
Biſq. decem arietes, pecudes qui cornibus altis
Præcedunt fiuntq. duces ad paſcua primi,
Cumq. ſuis fœtas pullis triginta camelos.
Quadraginta addit fœcundas ubere vaccas,
Atq. quater quinque immanes è tergore tauros,

Viginti

Viginti inde aſinas, pullos bis quinq. trahentes
Eligit, ac totidem hæc tradens armenta miniſtris,
Hæc inquit: vos me pueri præcedite; turmis
Tum ſervo, cunctis qui præſidet: obvius Eſau
Si forte occurrens, cui tu famulere, requirat,
Quove iter, & cujus ſint hæc armenta per arva
Quæ ſequeris Cuſtos; ſervi ſunt munera Jacob
Iſta tui, dices, dominum quæ mittit ad Eſau.
Ipſe viam ſequitur noſtram, quem turba coronat.
Hæc data ſunt aliis pariter mandata duobus,
Nec non & pueris armenta ſequentibus: illum,
Inquit, muneribus forſan lenibo furentem,
Cumq. illi viſar, placido me corda pavore
Perculſum excipiet vultu, tutuſq. quieſcam.
Nuncia qui fratri ſimul, & qui dona ferebant
Quam juſſit cœpere viam; ſed cinxerit aſtris
Cum nox nigra Polos, Jacob ad caſtra receſſit,
Feſſaq. conſtituit placido dare membra ſopori.
Vix erat orta dies cum binas fœdere junctas
Conjugij, ancillaſq. duas, atq. undecim illis
Prognatos vocat, & tranans Jaboc, agmina ſecum
Fert pecudum, armentiq. omnis, comitumq. catervam.
Labitur hic altis Galaad de montibus amnis,
Devolvitq. ſuas placidam Jordanis in alvum
Undas, qua ſtagnum Geneſereth effluit, ortu
Ille ſuo, extremis non longe inflexus ab oris
Ad ſolem medium properantis volvere curſus.
Isboc è Lucta vocem duxiſſe priorum
Turba putat patrum, aut Jesboch è nomine, Abramo
Quem Getura ætate gravi dedit ultima conjux.
Poſtquam torrentem tranſmiſerat omnia, ſolus
Manſit ibi Iſacides, tunc æthere miſſus ab alto
Stat Vir, & ad luctam Jacobum provocat acer.
Congreditur Jacob, atq. audax viribus hoſtem

Igno-

Ignotum in media conatur ſternere arena,
Aſt hic ceu rupes, quercuſq. annoſa reſiſtit.
Tum vero Iſacides ſe cautior arte tuetur
Brachia ſubnectens ulnis ſe curvat, & urget,
Implicuitq. pedes pedibus, caput incutit alvo,
Erigit hinc ſurſum, ſe proripit inde deorſum,
Mox manibus latera innectit, manibuſq. ſolutis,
Iterumq. cervicem captans, iterumq. fatigat
Hoſtem, ingens toto dimanat corpore ſudor.
Nititur incaſſum, nam fortior ille reluctans
Motibus inflexus conatus deſpicit omnes;
Ut magno Jacob obſiſtere robore ſenſit,
Angelus adverſo percuſſit poplite lumbum
Iſacidis, tetigitq. cavum ſub cardine nervum,
Læditur unde femur, qua greſſum parte retorquet,
Non tamen incuſſo diſſolvitur artubus ictu,
Sed reparans vires Cœleſti hæc audit ab hoſte:
Me dimitte, aurora Polo jam diſſipat umbras;
Non te dimittam, niſi me benedixeris, inquit
Jacob: huic alter: nobis da nomina: Jacob,
Ille ait: haud ultra tali te nomine dicent,
Aſt Iſrael natiq. tui, populiq. vocabunt,
Nam ſi tu mecum potuiſti prælia dextra
Conſerere, impaviduſq. Deum conſiſtere contra,
Humanas quanto poteris mage perdere vires?
Tunc illi Iſacides: quæ ſint tua nomina nobis,
Pande, precor; verum ille gravis ſic ore locutus:
Quænam tanta meum nomen tibi ſcire cupido?
Dixerat: inq. loco Jacob benedixit eodem.
Hinc locus a celebri Phanuel eſt ſorte vocatus,
Nam Phanuel ſignat magnum; & venerabile nomen:
Lumina noſtra Dei faciem aſpexere potentis
(a) Nec perii (priſcis vulgo hæc ſententia ſedit;
Si quis in Angelicum ixiſſet lumina vultum
Mor-

(a) *Cleric. in Geneſ.*

Mortalis, ſubito hunc triſti ſuccumbere letho).
Ut radiis Oriens primum ſol detegit Orbem
Tranſiliens Phanuel Jacob pede claudus abibat,
Iſrael hinc ideo qui ſunt de ſanguine nati
Non comedunt femoris tanto diſcrimine nervum.
Jamq. dies altum properat decurrere Cœlum,
Sollicitatq. vias abeuntis in agmine gentis;
Cum minor advertens majorem accedere fratrem,
Quem quadrigenti circum comitantur euntem,
Palluit, atq. ſuas hoc collocat ordine turbas.
Principio ancillas, & natos miſit ab illis,
Hinc Lia, atq. omnes geniti veſtigia ſignant,
Poſtera cum puero Rachel pulcherima Joſeph.
(*a*) Progrediens Jacob in terram pronus adorat,
Terq., quaterq. ſuum dejecto poplite fratrem,
Ille ſuo donec comitatu accederet omni,
Namq. ſalutantis mos in regione celebris
Hac erat, & numerus ſummum deſignat honorem.
Obvius it ſubito fratri celer, anxius Eſau
Irruit in fratrem, ac intendens brachia collo
Duplicat ardenti mille oſcula gutture fronti,
Perq. genas lætus lacrymarum defluit imber;
Poſt ubi cum natis uxores conſpicit: iſti
Qui ſunt? anne tuo geniti de ſanguine frater?
Cui Jacob: Deus hæc tribuit mihi pignora ſervo
Multa tuo. Interea ancillæ, natiq. propinquant,
Cumq. ſuis Lia, & Rachel amplexa Joſephum,
Illi flexa genu meritum largitur honorem;
Inde Eſau poſcit quænam ſint agmine turmæ
Compoſitæ triplici, quæ ſub cuſtode præibant
Munera ſunt inquit Jacob, & candida amoris
In te ſigna mei, Dominum quem noſcere lætor.
Plurima ſunt nobis, illi ſuperaddidit alter,
Sint tua ſuplicibus, defers quæ munera votis

Haud

(a) *Vid. Auguſt. quæſt.*105. *in Geneſ.*

Haud quaquam, Jacob reſpondet, dona recuſes
Et tibi ſi charus fuerim munuſcula dextra
Hæc noſtra excipias: divini ut Principis ora
Nam tua viſa mihi; vaſti me Conditor Orbis
Auxit divitiis, hæc accipe munera ab illo;
Sis mihi propitius: tantum hoc te deprecor; Eſau
Compulſus tandem votis oblata recepit,
Promiſitq. ſuo ſocium ſe adjungere fratri,
Ut duce ſe optatas curſu contingeret oras;
At renuit Jacob hæc addens; cernis ut iſti
Paſſibus incedant lentis pueriq., gregeſq.?
His via veloci greſſu tam longa noceret,
Una armenta die diſcrimen paſſa perirent;
Me præcede, ſequarq. tui veſtigia, donec
Natorum experiar vires, quæ longa viarum
Strata ferant, paſſimq. Seir te in monte reviſam.
Tunc Eſau exorat: ſaltem hoc ex agmine fortes
Elige quæſo viros, qui te comitentur: at ille
Non opus his nobis, ſatis eſt, ut meq., meoſq.,
Quod ſupplex poſco, Frater, digneris amore.
Hæc ubi dicta viam luſtrans, qua venerat Eſau,
Ad Seir acceſſit; frater loca deligit inter
Jordanem & Jaboc, atq. hic ſua caſtra tetendit.
Erexitq. domum, Sochot queis nomina fecit;
Inde Sichimorum Salem digreſſus in Urbem
Pervenit; hanc plures Sichimææ gentis ab arvis
Longius eſſe ſitam credunt, & nomine Salem,
Dicunt incolumen, quoniam pede ſanus abibat.
Sichem cum fixit tentoria proximus urbi
In campo ex Hemor natis quem providus emit
Agnorum pretio centum (a), genus eſſe peculi
Hoo fertur veterum ſignatum ætate figuris,
Inſculpta quarum noſcatur imagine pondus.
Erigit his tandem Jacob altaria campis.

De-

(a) *Druſius, Vaſeruſ. Grotius, &, alii.*

Digitized by Google

Demiſſoq. Deum Iſrael vocat ore potentem,
Sed dum compoſita felix in pace manebat,
Excrucians animum magno diſcrimine caſus
Accidit, hinc illi fons eſt, & origo malorum.
Extrema haud raro miſcentur gaudia luctu,
Jucundumq. dolor riſum comitatur acerbus.
Filia Dina fuit matris pulcherrima Liæ,
Quæ regionis amans nimium, & ſtudioſa videndi
Quo muliebris eat ſexus diſtinctus amictu,
E caſtris egreſſa patris, ſecura timorum,
Luſtrans arva oculis circum non cauta vagatur.
Agna ſui donec ſtabuli penetralia ſervat,
Paſcua nec tondet, cuſtos niſi paſtor adhæret,
Tuta manet, verum ſylvas ut ſola penetrat,
Obvius ore lupus, qui forte vagatur, aperto
Raptabit miſeram, cupidoq. erit eſca palato;
Proxima nam rubeis ſe poſt vepreta recondens
Hanc oculis ſequitur, donec digreſſa per umbras
Unguibus heu ſævi rapidis inopina tenetur,
Ac dum nequicquam complet balatibus auras,
Saltibus in ſylvas properis raptatur opacas:
Haud aliter Virgo: ſtratis illecta viarum
Gaudet iter, nunc huc, nunc illuc perdita in arvis
Sollicitat greſſum, explorat, veſtigia tardat.
Hanc forte inſpexit Sichem, qui natus ab Hemor,
Et captus ſpecie, tactuſq. cupidine amoris,
Ambigua, ignotaq. via circumvenit illam.
Virginis ante oculos apparet; Dina trementes
Fixa pedes ſtupuit; vultum demiſſa rubentem,
Pallentemq. ſimul; tremulo vox hæſitat ori.
Retro ferre pedem tentat, timor occupat artus.
Allicit ille animum dictis, trepidantia mulcet
Pectora blanditiis, Dinamq. invitat ad Urbem;
Aſt hæc ſurda dolis, mediæq. ad cingula veſtis

Ima trahens, oculis ſubito ſe avertere curſu
Cogitat, at tenues greſſus, & inaniter urget;
Namq. viri celerem non æquat fœmina curſum:
Inſequitur ſaltu Sichem, veſtem arripit, illa
Inſiſtit, ille trahit, vim vi compellit uterq.
Viribus, hanc tandem luctantem, & adire timentem,
Incaſſum fratres, Matremq. Patremq. vocantem
Subſtulit hic mediam, gratum ſibi pondus, ad aulam.
Nullo tuta loco, ſemper ſubjecta rapinis
Virginitas, quid non metuas dum ſola vagatur?
Deſperata gemit dum raptum Dina pudorem,
Illam blanditijs Sichem ſolatur amicis
Effuſam lacrymis oculos, miſereq. dolentem;
Convenit inde Hemor ſuplici ſermone parentem,
Ut velit hanc illi nodo vincire jugali,
Nam ſpecie illectus non parvo carpitur igne.
Accipit ut Jacob raptæ diſcrimina natæ,
Sentit, ſed tacitum ſervat ſub pectore vulnus,
Donec (namq. abſunt procul, atq. armenta tuentur)
Quam primum remeent rudia ad penetralia nati.
Interea Hemor adit Jacobi ad caſtra rogatum
Dinam pro Sichem; patrias tunc forte redibant
Ad ſedes nati, qui cum ſenſere loquentem
Hemor, Sichemumq. reum, raptamq. Sororem,
Exarſere ira, quod non delebile cunctis
Dedecus intulerat patrato crimine Sichem,
Dum ſanctum Jacob amiſit nata pudorem.
Tunc ait his Hemor; nati ſi pectora noſtri
Vicit amor, tactuſq. oculis, ſpecieq. puellæ
Illam ſubripuit, firmis hanc jungite nodis
Ipſi, nam poſcit; nec tantum temnite fœdus;
Uxorem hanc habeat: ſimili connubia nexu
Jungantur: nobis veſtro de ſanguine natas
Tradite, & alterno vos ducite fœdere noſtras.

Has habitare domos, pecudeſq; his paſcere terris
Fas erit, exercere ſolum, ſtat cuiq. poteſtas
Mercari, hic unus populus, gens una moretur.
Poſtea ille orſus Sichem natiſq., patriq.
Fœdere amicitiæ me quæſo jungite veſtræ;
Et dabo pro tanto quæ vos ſtatuetis amore,
Quælibet eſt animis dos; veſtræ augete ſorori,
Tantum huic me thalamo liceat ſociare jugali;
Tunc etenim ſponſum conjux, non ſponſa maritum (a)
Dotabat, veterem ſervat nunc Perſia morem.
At fratres, atrum claudunt qui corde venenum,
Mixta dolis reddunt nato reſponſa, patriq.
Incircumciſis noſtra de ſtirpe creatas;
Et veſtras thalamo nobis conjungere natas
Relligio prohibet, ſi veſtro in corpore ſignum,
Quod Deus indicium populi dedit eſſe fidelis,
Eſt animus ferre, & ritus ſervare verendos,
Sacraq. noſtra, thori vinclis jungemur amicis,
Atq. duabus erit populus de gentibus unus;
At ſi mens juſſis refugit parere Supremis,
Protinus ex iſta cuncti diſcedimus Urbe,
Et captam veſtra depellimus æde ſororem.
Nulla mora eſt juvenis ſubito quin juſſa ſequatur,
Tantus amor Dinæ eſt, ſic pulſat corda cupido!
Jamq. erat in Patria ex cunctis puer inclitus æde.
Unde adiere fores urbis gnatuſq., paterq.
Accerſunt populum, qui ſpectans auribus adſtat.
Tum ſic exorſi: famulis; gregibuſq. bidentum,
Divitiiſq. potens gens noſtræ finibus Urbis
Succeſſit, quæ pacis amans, & fœdera poſcens
Figere in his ſedes, armentaq. paſcere terris.
Poſtulat; inculto ſpatioſa eſt jugere tellus,
Atq. labore boum, cultorumq. indiget arte,
Hic populus; latos vertet qui vomere campos,

 Com-

(a) *Hom. Iliad. 9., Ariſt. Rep. l. 1. c. 8.*

Commoda multa feret: noſtro de ſanguine cretas
Hi ſibi connubii ſociabunt fœdere, ab ipſis
Progenitas parili ducemus fœdere, & una
Gens erimus, ſed enim leges, ritusq; ſequendi
Sunt alii, & nova Relligio, quæ præcipit uni
Sacra Deo facere, & nos circumcidere, & omnes
Noſtra ex ſtirpe ſatos: tantum ne temnite fœdus.
Ardua non poſcunt, noſtroq. in corpore ſignum
Vulneris hoc parvum fructu penſabitur æquo;
Nam pecudesq., bovesq., atq. ingens copia rerum,
Quam Jacob, natiq. tenent, divesq. ſupellex
Noſtra erit, ut populum placide jungemur in unum.
In Dinam tantus juvenis, tantusq. parentis
In natum eſt amor, & Regem ſic diligit omnis
Plebs, ut ſe duræ haud renuant ſubmittere legi.
Seq., ſuosq. viri ſacrato vulnere ſignant.
Tertia ut orta dies, vis quando graviſſima ſævit
Vulneris, atq. dolor detecto ex ulcere crevit,
Accerſunt ſocios Simeon, Leviq. potentes,
Ingreſſiq. Urbem, replent clamoribus auras.
Jam penetrant ſecreta, jacent ubi ſaucia lecto
Corpora, & immeritos gladiis, ferroq. trucidant.
Femineus tantum ſexus, pueriq. ferali
Servantur cæde, aſt alios fas cœdere ferro.
Barbariem incuſant, ululant, & funera plorant.
Implicat illa manus manibus, laniata capillos
Circuit hæc Urbem, extinctum gemit iſta parentem;
Si qua virum amiſit, fratrem ſi qua enſe necatum
Ante oculos vidit, lapſæ ſuper ora jacentis
Vivas extincti lacrymas cum ſanguine miſcent;
Nec pietas animis fratrum, comitumq. ſuperbis.
Irruit atra Phalanx in regia tecta, per altos
Irrumpuntq. gradus, perquirunt Principis aulam,
Occurrunt trepidæ famulæ, nam turba virorum

Vul-

Vulnere laſſa jacens jugulatur, & undiq. ſanguis
Defluit, & partes, laquearia & ima cruore
Tincta rubent, humore tremens pes labitur udo,
Et prohibent aditum, ad thalamos qui Principis infert,
Aſt impar nimium eſt mollis violentia ſexus;
Sternitur hinc illinc manuum quæq. impetu ab uno
Fœmina: facta via eſt ad mœſta cubilia Sichem,
Et Simeon enſem erecta cervice minacem
In Juvenis caput oſtentans hæc fudit ab ore:
Nunc eſt, nunc tempus meritas perſolvere pœnas,
Fœde puellarum raptor, mihi ſanguine honorem
Redde tuo; Sichem tenſis ad ſydera palmis,
Teſte Deo, expoſcit veniam, reſolutus ut enſis
In ſua membra cadit, medijs hæc vocibus addens:
Hæc eſt pacta fides? hæc veſtra eſt Relligio? heu me!
Hæc ſunt? hæc... gemino ſed vox truncatur ab ictu,
Invituſq. animus linquit cum ſanguine corpus.
Interea Levi penetrale irrepſerat Hemor
Horridus inſpirans oculis, & naribus ignem,
Accedenſq. thoro, aggreſſuſq. repente jacentem,
Quærit ubi immergat ferrum, ille exterritus artus
Involvit panno, clypeus ſed debilis illi
Pannus erat, retrahit vi lintea barbarus hoſtis,
Obiciturq. feris infelix ictibus Hemor,
Levi ira cœcus, Senis haud pietate tenetur,
Totq. vias aperit morti, quot vulnera figit,
Ac acie inverſa, tortaq. in viſcera ferri.
Languida vix miſeri vox eſt audita cadentis.
Interior Domus horrendum, & lacrymabile funus
Mœſta ſonat, magno ſecreta cubicula fletu
Horrorem incutiunt, animos formidine complent,
Cœde virum expleti, Dinaq. ex Principis aula
Protinus abrepta; fratres, comiteſq. feroces
Aggreſſuri Urbem, varium junguntur in agmen,

Va-

Vaſtavere Domos; fruges, ſegeteſque per agros
Diripiunt, armenta trahunt, cum matribus omnes
Captivos pueros, (viſu miſerabile!) ducunt;
Ex quo tantæ animis hominum, crudelibus iræ?
Turpis amor Sichem, fœdæq. cupidinis ardor.
Inſontes rerum per tot diſcrimina duxit.
Cum ſcelus infandum natorum venit ad aures
Jacob; indoluit ſenior dictiſq. furentes
Increpat his natos; quæ veſtram inſania mentem
Cœpit, quiſve animos egit furor impius auſos
Fœdere conjunctis cædem committere vestris?
Audaces! populo inviſum me redditis omni
Jamque Pherezeus, Chananæorumq. propago,
Et qui rura domat Sichimeis proxima campis,
Hoſtibus ut ſævis, nobis bellum inferet atrox,
Nos pauci in multos, cædis quos congregat ira
Immanis, quibus auxiliis, quibus utimur armis?
Hi me percutient, mecum delebitur una
Tota domus, noſtrumq. genus, nomenq. peribit.
Contra hi: numquid honor, quem ſubripuere Sorori,
Noſter inultus erit? vindex nec criminis ullus?
Interea è Cœlis Iacob Deus optimus aures
Vocibus his pulſat: decede his protinus arvis,
Et Bethel propera, atq; illis habitabis in oris,
Et ſtatuas altare Deo, qui fratris ab ore
Se Tibi conſpicuum fugienti præbuit olim.
Evocat Hic natos, famuloſq. & talia fatur:
Condita ſi quis habet cultus Symulacra profani,
Auferte, abicite, & corpus conſpergite lymphis,
Antiquamq. novam induti, deponite veſtem;
Inde omnes Urbem Bethel conſcendite mecum.
Hic aram ingentem ſacris onerabimus extis,
Thuſq. Deo plena redolens fumabit acerra,
Namq. hic multiplici eduxit diſcrimine quondam

Me cuſtos, ſociuſq. viæ, atq. ingentibus auxit
Divitiis, gregibuſq.: hæc Jacob ore loquutus.
Forte fuiſſe Deum; populus quos cæcus adorat
Cognatos inter Jacob, & ſemine natos
Effigies credunt aliqui, aut Rachelis idola;
At noſtræ ſurgit potior ſententia menti,
Eſſe ſuæ haud unquam paſſus vir legibus æquus
(*a*) Hæc Symulacra domi, cultus ne cauſa profani
Illa forent, potius divos hic abdicat illos,
Quos captiva cohors è Sichem detulit urbe.
Non tantum Hebræis, etiam ſed Gentibus uſus
Ante ſacrum puris conſpergere membra pruinis
Tunc erat; exterior quadam ſub imagine cultus
Munditiem ante aras poſitos in corde docebat.
Namq. aliquod *cunctis* natura agnoſcere Numen (*b*)
Divinum dederat, ſpoliis, & corpore turpi
Hoc honorare nefas, multa hinc venere lavacra,
Ædes ante Deum, ſacra hinc ablutio, moſq.
Luſtrandi, puriq. habitus, & munda ſupellex.
Protinus imperijs Jacob obtemperat omnis
Turba, ferunt quæcumq. Diis ſignata profanis
Illius ante oculos, ac tradunt cuncta jubentis
Arbitrio, demum inſignes portantur inaures
Naribus infixæ, aut quæ pendent auribus; ætas
Illa harum ſignis mendacia multa fovebat,
(*c*) Annuli, & armillæ, ſimileſq. in imagine formæ
Augurium mendax miſeris, cœcumq. futuri
Sæpe dabant; homines ita nox heu longa tenebat!
Hæc igitur Jacob Urbis poſt mœnia Sichem
(Hic Terebinthus erat) præruptæ in gurgite foſſæ,
Condidit, ut ne parva quidem monimenta manerent.
Vix pius Iſacides Sichimorum erat Urbe profectus,
Cum, vicina colunt qui jugera, perſequi euntem

Con-

(a) *Joseph antiq. lib.* 1. *c.* 18. (b) *Herod. l.* 1. *c.* 198.
(c) *Auguſt. Epiſt.* 73. *ad Poſſid.*

Conſtituunt, arma expediunt, coguntq. cohortes:
At Deus ingentem terrorem immiſit in hoſtes,
Deſiſtuntq. ſequi Domini quos dextra tuetur.
Luzam, quæ Bethel, cœtus tandem advenit Urbem,
Aggere ſaxorum Jacob magno erigit aram,
Atq. Dei ſedem vocat hanc, promiſſaq. ſolvit.
Namq. Deus profugo fratrem, mortemq. timenti,
Hic ſe. ſe exhibuit verbis ſolatus amicis;
Dein tegeret nigro cum nox velamine terras,
Et dulcem caperent per opaca ſilentia ſomnum
Terrigenæ, Omnipotens iterum, delapſus ab aſtris
Solatur Jacob, qui tot diſcrimina paſſus,
Dum Meſopotamiam coluit, Syriaq. regreſſus,
Atq. illi placido poſtquam benedixerit ore,
Hæc fatur: Jacob haud appellaberis ultra,
Ait Iſrael erit venturum nomen in ævum.
Ipſe ego, quem cernis, ſuperi ſum Rector olympi,
Creſce, & multiplices edas in luminis auras
Natos, atq. iſto ducentur germine gentes,
Et ſeries ſurget magnorum plurima Regum.
Terræ quas Abraham dederam, Iſacoq. parenti,
Ecce tibi, natiſq. tuis, turbæq. nepotum.
Sic ait, & citior ventis, ſe condidit aſtris.
Tunc ille, extructo lapidum devotus acervo,
Erexit titulum, ac ſupra libamina ponit,
Infunditq. oleum; Bethel quo dicitur ædes.
Illinc vernanti progreſſus tempore venit
Ad terram, recto quæ calle inducit Ephratam,
(Hoc tamen obtinuit Caleb de conjuge nomen)
Atq. hic difficilis Rachel diſcrimine partus
Jam ſubit infelix extrema pericula vitæ,
Quam ſolata piis Obſtetrix vocibus, inquit
Ne timeas, alio gaudebis pignore mater,
Inq. gravi prolem deponens mortis agone,
Præbuit huic nomen poſtrema voce Benoni:

Filius

Filius iſte mei, ſignant hæc verba, doloris,
Emiſitq. auras una cum nomine vitæ.
Quod Pater obvertens Beniamin dixit, & uno
Explicuit ſigno, dextræ quod voce ſonaret
Filius iſte meæ, ſunt qui legere, ſenectæ.
In bivio ægra Rachel deceſſit; proxima Bethlem
Cui, mille erigitur (Domini memorabilis ortu)
Paſſibus excelſas vertens Orientis ad oras.
Quis gemitus Jacob, dum clauſit lumina Conjux?
Quis referat lacrymas, cui tot ſociata per annos,
Quam propter caſus, ac tot diſcrimina paſſus?
Heu pars ille inquit, noſtri dulciſſima cordis,
Noſtræ ac pars animæ, cur me rellinquis egentem
Nunc ope, vicinæ quem tempus inane ſenectæ
Opprimet? heu quæ fida comes, patienſq. dolorum
Fortunæq. meæ, miſerum me linquis; ad umbras
Te ſequar, haud aberit tempus, jungemur amicis
Nos patribus, ſocijq. novas remeabimus auras,
Cum dabitur Miſſum è Cœlis audire vocantem.
Sic ait inſperſus lacrymis; comitatus & illam
Ad tumulum, Bethlem qui ſpectat, corpora terræ
More dedit ſacro, tituliq. imponit honorem.
(*a*) Quem titulum veteres altam dixere columnam,
Compoſitum plures æterna in Sede ſepulchrum
Bis ſenis ſcalpro ſculptis ex ordine ſaxis,
Queis regitur fornix, quatuor de marmore pilis
Impoſitis, cui Pyramidi baſis hæret onuſtæ.
Poſtea digreſſus Jacob tentoria fixit
Trans Turrem gregis (inſurgunt hic plurimæ in arvis (*b*)
Paſtorum turres, quarum vigilare ſolebant.
E' ſpecula, armenti fures arcere parati).
Dumq. moram Iſacides hac in regione trahebat,
Infandum ſcelus in Patrem committere Ruben
Eſt auſus, Bale in thalamos aſcendere tentans,

R Nec

(a) *D. des Breyeſ. pag.* 168. (b) *Toſtat.*, *Adrichom.*

Nec facinus latuit queſtum de labe parentem.
Ortos in Syria varia de conjuge natos
Bis ſenos numerat Jacob, in origine primum
Ruben ex Lia, Simeon, Levi, addite Judam,
Iſſachar, & Zabulon; duo ſunt Rachele creati
Beniamin, & Joſeph; ſua quos Ancilla parenti
Bala dedit Jacob, ſunt Dan, & Nephtali; Zelpha
Quæ famula eſt Liæ binos Gad, Aſarq. creavit,
Hinc gradiens annis feſſum, lethoq. propinquum
Contendit propere genitorem viſere Mambre:
(Arbeæ quodam antiqui ſic dicta gigantis.
Nomine) quem longis videt ut confectus ab annis
Debilis, ac æger lecto, dat longa cupido
Spiritui vires, & laſſis robora membris,
Et manibus ſurgens tremulis, & corpore nutans
Dulcis in optato langueſcit pectore Jacob.
Sic Pater, & natus vinclis junguntur amoris
Æternis, tanto exultant præcordia motu,
Ut vocem impediant: gemitu, lacrymiſq. loquuntur.
Jam centum, & decies octo compleverat Iſac
Annos, cum feſſos morbo, longaq. ſenecta
Illum convenit gnatus, vitamq. ſuaves
Amplexus inter Jacob, atq. oſcula ſpirat;
Quem madidus lacrymis, Eſau comitante, ſepulchro
Impoſuit, fletuq. diu pia funera ſolvit.
Nunc juvat in ſacris ſignatam texere chartis
Eſau natorum ſeriem, qua turba nepotum
Orta eſt; è prima ducetur ſtirpe parentum.
(Gens Eſau antiqua implicitur cum gente Seiri
Horræi ex alia, quam certus dividit ordo.
Explicet ut Moyſes Eſau Chanaanitide natos
A reliquis, quos terra Seir dedit inde nepotes,
Primis ex ipſo ſeptem dat verſibus ortos
Ne ſeriem involvat; bis ſenis inde ſequentes
Enumerat non patre Eſau, ſed cæſpite ductos.

Id-

Idumæorum varia Reſpublica in annos
Sub ditione fuit, vario moderamine legum.
Sub Patriarcharum primæ diſcrimine gentes
Legis erant, & quiſq. ſua de ſtirpe creatis
Jus dabat, at ſolvens ſacra jura ſuperbia fecit
Inde duces, Regeſq. dedit poſt viribus aucta;
Verum hi non populos, nec maxima regna gubernant,
At paucas Urbes, quin uni ſæpe jubebant.
Hinc igitur Moyſes Regumq., Ducumq. frequentem
Orditur ſeriem, & nomen, ne deſit origo.
Ipſe Eſau eſt Edom, cujus de ſtirpe propago
Idumæorum ex genitis hoc ordine natis.
Tres ille uxores ſibi junxit Olibama, & Ada,
Et Baſemeth thalamo, quarum dat prima marito
Jehus & Ihelon, & Core: fert altera Eliphaz;
Tertia concepit Chananæis Rahuel in agris.
Mox Eſau uxores natos, nataſq., gregeſq.
Et famulos alias ſecedere juſſit in oras
Ex Chanaan, fratremq. ſuum, terraſq. relinquens,
Longinquas regionis abit peregrinus in oras,
Non ſatis eſt turmis pecudum fratriſq., ſuiſq.,
Namq. ſolum, cum dives opum pecudumq., hominumq.
Frater uterq. foret, ſtatio ac tot parva colonis,
Secedens in monte Seir, qui dicitur Edom
Definit ſua caſtra Eſau, cui nomina fecit.
Enumerans natos Moyſes, de conjuge prima
Olibama nati, quos progenuere, nepotes
Cur ſileat cœca, involvit caligine cauſas.
Theman, Omar, Sepho, Gatham, Cenez, Amalecq.
(Ultimus a Thamna poſtrema conjuge natus)
Ex Eliphaz geniti; Rahuelis ſanguine ducti
Sunt Nahath, & Zara, & Samma, ac Meza, inde potentes
Tot venere Duces, quot ſunt ab origine primi.
Hinc Seir Horræo nati (quorum ampla propago)
Sunt Lotan, Sobal, Sebeon, Ana, Diſon, & Eſer

Cum Diſan, qui jura dabant in montibus Edom;
Sed Loran, (cui Thama ſoror) generaverat Hori,
Atq. Hemon, at Sobal, Alvan, Manahat, & Ebal,
Et Sepho, atq. Onan. Sebeon de germine Aia,
Ac Ana exorti, hic loca per deſerta Parentis
Depaſcens aſinas calidas invenerat undas.
O quot clara virum ingenia exercere ſuevit
Res hæc obſcura multarum indagine vocum!
(Hammaim dixere alii, quod balnea ſignat, (a)
Ac Jemim plures, aſinis ſylveſtribus Ana, (b)
Ut genus ambiguum fieret, conjunxit aſellas
Et ſunt qui Jemim, Satyros, ſeu Dæmonis umbras (c)
Exponunt, at qui fortes ſcrutantur Hemæos
Inveniſſe Anam, patribus placuere, gigantum (d)
Namq. erat hæc ſpecies membris, & robore præſtans,
Quos forte invadens Ana, & memorabile pugnans
Egit opus, Sapientum hæc eſt ſententia Patrum.
Filius ex Ana Diſon, & Olibama nata eſt
Ex Diſon Hamdan, Eſebanq. Jethranq., Charanq.
Eſer habet natos Balan, & Zaran, & Acan;
Semine & ex Diſan Hus ortum novit, & Aran.
Hos inter primi Horræorum in ſede potentes,
Atq. Duces, Loran, Sobal, Sebeonq. fuere,
Inde Ana, & Diſon, Eſer, queis addite Diſan.
Hi prius imperii ſummas moderantur habenas
In terris Edom, quam Jacob ſanguine creti
Huc tandem reduces ſceptro potiantur, & armis
Hos ſubigant; Rex Bela thronum de ſtirpe Beoris
Occupat ante omnes, Urbs cujus Denaba ſedes
Tunc erat, haud longe attingens Aneopolis Urbem,
Proximi, ut è latere ad torrentem accedimus Arnon;
Bela ut vitales auras amiſit, ad altum

Aſcen-

(a) *Diodor. in caten. græcis.* (b) *Hieron. quæſt. hebr.*
(c) *Vide Munſterum.* (d) *Boch. de anim. Sacr. pa. 1. lib. 11. cap. 1.*

Aſcendit ſolium Jobab de ſanguine Zaræ,
Urbs, quem Boſra tulit, ſedet hæc in vertice montis
Ante Tiberiadis ſtagnum non longior Urbis
Millibus (adde decem, atq. novem) quæ paſſubus extat.
Hunc Jobab ſenſere Patres Orientis in oris
Olim divitiis auctum, quas abſtulit omnes
Una dies, ſævisq. malis, hunc reddidit ægrum
Dæmonis invidia, a Domino cui facta poteſtas,
Innocuum, fortemq. animum ut cognoſceret hoſtis;
Poſt Jobab Huſam (Themanorum terra Petreæ
Arabiæ haud diſtans, quem civem novit ab ortu)
Regnat Idumeis non longo tempore in oris,
Cujus init ferus Adda thronum de ſemine Badad
Avith, at nobis ignota, cretus in urbe.
Moribus acer erat, belliq. aſperrimus arte,
In regione Moab, Madian qui fregerat armis.
Adda ut deceſſit, Semla eſt regione potitus
Ortus Maſrecæ, quam Septuaginta Maſedam
Eſſe volunt, utriuſq. latet qua mœnia ſurgant.
De Robohet Saul exurgit poſt funera Semlæ.
Infra Certuſium ad Chabaræ Euphratiſq. fluentam
Hæc jacet Urbs media. Hinc Balan ex Achobor ortus
Sceptra tenet, cumq. ille perit, Rex dicitur Adar
Natus in urbe Phau, fuit illi Netabel uxor
Filia Matredæ, Mezabæ cognita neptis.
Quiq. Duces Eſau prognati ſanguine in Edom
Thamna, Alvat, Jetheth, Olibama, Elaq. Phinon
Cenez, ac Themam, Mapſar, cum Magdiel, & Hiram;
Sic Idumæorum caput, & pater omnibus Eſau
In populis, veterum dejecta gente colonum,
Tandem obiit, mortiſq. locus, jus funeris, ætas,
An ſons, an pius, incertum; qui (a) crimina ſignant
Delapſum merito æternas opinantur ad umbras;
Pœnituiſſe ferunt alii, & virtute micantem

Hunc

(a) *Vid. Calm.*

Hunc celebrant; Jacob veniam, pacemq. petenti
Dum dedit, ac timidum fraterno excepit amore.
Inde Chananitidem fratri cum pace relinquens,
Atq. armenta alias ducens peregrinus ad oras
Libera fraternis conceſſit paſcua turmis.
Non hominem pravum oſtendunt, ſcelerumq. tenacem
Virtutum tot ſigna: malum, ſeu credimus æquum,
Stat ſua cuiq. virum ſententia credere culpæ
Perpeſſum pœnas, deleto aut crimine tutum.
(a) Antiquum hunc Erythron veterum ſententia Regem
(Qui maris olim undis Erythræi ab origine nomen,
Et populis inſigne ſuis dedit) eſſe putavit
Nam Græcorum Erythros, quod rubrum auditur in ore,
Hebraice paribus ſignatur vocibus Edom.
Hic Idumæorum fuerit cum primus, & Auctor,
Laus erit hæc Eſau ſtat quædam in Agyride longe
Haud Caramania) quidam dixere Tyrinam)
Inſula, qua in media eſt annoſis conſita palmis,
Sylva tremens, umbriſq. tegit ſublime ſepulchrum,
Cui veteres in fronte notæ, celſamq. columnam
Huic erectam Erythræ, antiquus qui dicitur Edom;
Sed Chananæorum pingues remeemus ad agros,
Quos genitor Jacob quondam peregrinus adivit,
Natus ubi innocuus pecudes ad paſcua Joſeph
(Fratribus è Zelpha ſocius Balaq. creatis)
Cogit læta: puer bis octo computat annos.
Hic apud annoſum turpi de labe parentem
Ingenuus, legiſq. tenax, & criminis expers
Incuſat fratres, fuerit quæ culpa latebit,
Nec veterum quæ ſit Patrum ſententia promam,
Ne lædam inſontes puerorum verſibus aures.
A Jacob genitus Joſeph ineunte ſenecta,
Optatuſq. diu ſterili de conjuge fructus,
Dulce patri, nam pulcher erat, ſolamen amanti.

Fe-

(a) *Vid. Cal.*

Fecerat huic Genitor variatis ordine filis
Veſtes, queis alios inter diſcordia fratres
Orta gravis, tortiſq. oculis, ac naribus hirtis,
Hunc exin cernunt vultu, & ſermone minaces;
Utq. furens tetigit fratrum præcordia livor,
Omnes inſontis voces, & facta notantur,
Si quid agat noxæ immunis, vel proferat ore:
Centum oculos acuit, centum arrigit invidus aures.
Forte oblata puer per nigra ſilentia narrans
Somnia germanis Joſeph, ait: eſſe putabam
Nos ſimul in campis, unaq. ligare maniplum
Quemq. ſuum, ſed ſponte meum conſurgere vidi,
Quem circum veſtri ſtantes exerriti adorant.
Hi puerum improperant odio, invidiaq. tumentes:
Num Rex noſter eris? Tua nos num juſſa feremus?
Subditaq. imperio patiemur colla ſuperbo?
Inde ſuis rurſus nova pandens ſomnia Joſeph
Fratribus, ingenuis eſt orſus dicere verbis:
Jam Lunam, Solemq. ſuum in me flectere lumen,
Undecim & hinc ſtellas curvatas ordine longo
Me veneraturas inſpexi; hoc fomite crevit
Tunc odium, praviſq. tenax in cordibus ira.
Quid ſibi Nate volunt hæc ſomnia cœca? loquentem
Corripuit Genitor vultus in imagine triſtis;
Numquid Ego, Materq. tua, atq. ex ordine fratres
Spectatos præſtare tibi cogemur honores?
Hæc ait increpitans, ſervat ſed pectore in imo
Rem tacitus, meditans animo, volvitq. futurum.
Nominat ut Matrem Jacobus diſſona ſenſu
Verba tulit, vitæ Rachel nam liquerat auras;
Nec poterat Nato ſignatum reddere cultum.
De Bala dixiſſe Patrem Nutrice putarunt
Plures; aſt alii Liam duxere vocatam
Nomine materno; Patris nam dicitur Uxor

A natis

A natis Mater prima de conjuge cretis (*a*).
At majora latent tanto myſteria viſu,
Signaq. in obſcuris Joſeph non cuncta figuris
Panduntur nobis, potior pars reſpicit illum
Qui Deus, atq. hominum ſpolijs indutus in ima
Tellure elegit Patriarchas ſanguine patres,
Cui Mater Synagoga fuit, fratreſq. rebelles
Judæi imperium Chriſti qui ferre recuſant.
Cuſtodes ovium quærunt dum paſcua Joſeph
Fratres læta gregi, hunc Jacob accerſit, ad agros
Vade, inquit, Sichem num res ſint cerne ſecundæ,
Et fratrum, & pecudum, & nobis fer nuncia velox.
Vix audit data juſſa puer properavit ad arva
Lata gradum; aſt illinc aberant fratreſq., pecuſq.;
Ergo abit, & luſtrat vicinos ſedulus agros.
Errantem puerum per jugera longa colonus
Aſpiciens poſcit quo tendat, quoſve requirat.
Cui Joſeph: noſtine mei quo gramina paſtum
Impulerint pecudes germani? Huic talia reddit
Agricola, in Dothain illos dixiſſe, feramus,
Audieram, pecudes, hic forſan paſcua tondent.
Tunc ille ad Dothain, ubi fratrum turba manebat
Carpit iter (Dothain regio Sebaſte vetuſto
Bis ſenos aberat paſſus cum millibus) agros.
Cum puerum cernunt procul, hunc demittere letho
Mente agitant fratres, alterna hæc voce locuti;
Vates, ecce, venit, qui ſomnia jactat, in illum
Nunc licet irruere, & meritas expoſcere pœnas,
Nunc pereat mendax, veteriſq. in gurgite cæſum
Condamus putei, narrata videbimus illi,
An tot, queis inflat pectus, phantaſmata proſint.
Poſt illum rabido vulgabimus ore ferarum
Depaſtum, imprudens hæc dum deſerta pererrat.
Quid contra invidiæ morſus? non ſanguis & ætas
Imbel-

(a) *Auguſt. in Gen. quæſt.* 133.

Imbellis pueri, non patris cura dolentis
Non ultor Deus, aut ſaltem natura refrænat.
Attamen hos inter Ruben, qui mitior unus
Incolumem Patri meditatus reddere natum;
Quid noſtras, inquit, fraterno ſanguine dextras
Commaculare juvat? veſtris deſiſtite cœptis.
Hic vetus eſt puteus, nullas qui continet undas,
Claudite in hoc Puerum; mox hujus mittite veſtem
Hædino ad noſtrum maculatam ſanguine patrem.
Ipſe avido Puerum laniatum dente ferarum
Credet. At hæc ficto Ruben ſermone locutus,
Ut ſævæ eripiat turbæ, mortiq. propinquæ
Inſontem Joſeph, ac Patri reddat amanti.
Aſſenſere omnes monitis. Jam proximus adſtat,
Joſeph, & fratrum prænoſcit in ore furorem,
Illicet hunc madidum lacrymis, fruſtraq. precantem,
Tollentemq. humiles, teneraſq. ad ſydera palmas
Circumeunt, implorat opem, auxiliumq. repoſcit
Illacrymans, nunc ad Levi pia lumina volvit,
Vertitur ad Iudam, nunc dulcis ad Iſſachar udos
Fert oculos, Rubenq. orat, cunctoſq. precatur;
At nulla eſt veniæ ſpes, nec fera pectora fratrum
Mollit; jam vario corpus nudatur amictu,
Statq. inter medios ſeptus velut anxia ſævis
Agna lupis, gelidoq. puer ſudore madeſcit.
Inq. cavum tandem puteum demiſſus amaris
Fletibus, & magno replet clamore cavernam.
Quis duro è ſcopulo genitus, paſtuſq. ferino
Lacte per horrentes ſylvas hæc mente volutans
Temperet a lacrymis? at fratrum ſaxea corda
Non vox, non lacrymæ pueri, non pulchra dolentis
Ora movent; procul hinc pietas, quin mœſtus ab imo
Dum puer emittit puteo gemituſq., preceſq.
Ventrem onerant epulis, & dulcia pocula ſugunt.

Atq. ea dum patrant ciſternæ in margine fratres,
Ecce viatores accedere ad oppida gentis
Niligenæ aſſueti Galaad de monte camelos
Reſinam, ſtacten, & aromata multa ferentes
Ducebant; (reſina fluit terebinthica ab alvo,
Stacten conficiunt myrrhina ex arbore guttæ)
Tunc aliis fatur Judas hæc fratribus: adſunt
Iſmaëlitæ; quid nobis ſanguine prodeſt
Fraterno maculare manum, & celare cavernis?
Quin potius pacta mercede hunc vendimus illis.
Hinc raptus ſeptemgemini per littora Nili
Carpat iter, magnasq. Phari ducatur ad Urbes,
Illius immemores ſic nos, noſtrum immemor ille
Vivet, & intactæ crudeli a cæde manebunt
Dextræ; nè voces, monitus nè ſpernite noſtros,
Frater enim, & noſtri genitus de carne Parentis
Eſt puer, infanda quem morte necare paratis.
Aſſenſere omnes animis, & dicta probarunt.
O cæcas hominum mentes! quò perdere Joſeph
Sævi nituntur fratres, hoc utitur almus
Conſilio Deus ad magnos ut tollat honores.
Inſontem obſcuris puerum eduxere latebris,
Atq. hunc bis denis ceu vili ex ſanguine nummis
Argenti vendunt. Quid non mortalia cogunt
Pectora livor edax, & habendi inſana cupido?
(a) Sunt qui triginta enumerant queis traditus ille
Cujus facta refert ſimili ſub imagine Joſeph.
Nam veluti argenti Judas hunc munere vendit
Iſmaelitis; hominemq., Deumq., magiſtrum,
Nomine par ſimili Scribis ære obtulit alter.
Ille autem illacrymans protendit brachia ſupplex,
Mota, precesq. adhibet; mox ut fera pectora fratrum
Non flectenda videt, tenero ſic ore profatur:
Ergone Niligenas ducar captivus in oras

(a) *Ambroſ. lib. de Joſeph. cap. 3.*

Servitiumq. immite feram, duroſq. labores,
Atq. abero ſemper patriis a ſedibus exul?
Hic amor, hæc pietas, hæc dulcis cura Parentis?
Jamq. vale Genitor, nullum viſure per ævum
Me, miſer, infelixq. Senex, cui brachia collo
Amplius haud tendam, non amplius oſcula dulci
Ore meis jucunda genis Pater optime figes.
Parve mei Beniamin, cordis pars intima ſalve,
Vos tandem ſalvete omnes, nec præmia culpis
Digna Deus reddat ſcelerum juſtiſſimus ultor.
Veſtris ſi qua animis ſupereſt pietatis imago,
Ferte hæc pauca Patri: triſtem ſolare ſenectam,
Natus in Ægypto tuus eſt; dextræq. ſenili
Oſcula libate, & pueri mille oſcula parvi
(Heu quantum invideo!) Beniamin figite fronti;
Dixit, & ex oculis fratrum ſubreptus abivit.
Forte aberat Ruben, & tanti neſcius auſus,
Ut fratres abiere procul, velocior ultro
Ad puteum obſcuro erepturus carcere Joſeph
Jam redit; at ſcrutans convexa latibula, cernit
Ablatum puerum, infremuit, per concava voces
Intonuere lacus, clamores extulit, uncis
Dilaniat digitis crines, & ſcindit amictum,
Atq. dolore furens: quo tandem frater abivit?
Cur latitas Joſeph? qua nunc in valle recondar?
Quas ſylvas, atq. antra petam, quæ littora? clamat.
Mœrentis mulcere animum, & compeſcere queſtus
Nituntur fratres, donec ſententia cunctis
Inſurgit vafro Genitorem fallere ſigno.
Ad Patrem miſere ſenem, quo dente ferarum
Credat, & ungue ſuum diſcerptum corpore Joſeph;
Hædi fœdatam jugulati ſanguine veſtem
Nuncius exuvias portans in imagine triſtis,
Ut ſtetit ante Senem ſimulans in corde dolorem

Hæc tremula eſt orſus lingua: hanc Sichimea per arva
Inveni tunicam fumanti ſanguine tinctam.
Aſpice an illa tui ſit nati? Talia dictis
Firmabant ſocij; irriguit, fixitq. paventes
In ſpolium Jacob oculos, membra omnia nutant,
Clamare incœpit, languet vox faucibus hærens.
At dolor irrupit tandem, qui cordis in imo
Clauſus erat, taleſq. dedit de pectore voces:
Hæc tunica eſt noſtri, quem per deſerta voravit
(Me miſerum! quid adhuc vivam?) fera peſſima, Joſeph.
O puer infelix, noſtræ ſpes nate ſenectæ,
Mox ſtimulus nobis, & cauſa miſerrima mortis!
Hinc vicina tonant gemitu, & clamore remugit
Tota domus, ſciſſis incedit veſtibus, atro
Poſt caput opperuit cinere, ac involvit acutis
Cilicijs membra, atq. ululatus undiq. mittit,
Non ſecus ac æſtate nova, autumnove cadente,
Cum nigrum intonuit Cœlum ſtridoribus auras
Horriſonis implet, terras formidine quaſſans,
At poſtquam crebros jaculatum nubibus ignes
Terruit elatas arces, turreſq. ſuperbas,
Solvitur in pluviam, ſic, poſt ſuſpiria, Jacob
Ex tumidis imbres oculis cecidere frequentes,
Lapſaq. in hirſutum decurrunt flumina pectus.
Conveniunt omnes miſero ſolamina patri,
Si qua ferant nati, at nullis compeſcere luctum
Fas monitis, funditq. Senex has ore querelas,
Cum Joſeph atras ſatius deſcendere ad umbras
Eſt mihi, quam nato viduatam ducere vitam,
Dum queritur Jacob, Regalem natus ad urbem
Pervenit Ægypti, quem Madianitica turba
Putiphar Eunucho Pharaonis in æde magiſtro
Militiæ pacto captivum tradidit auro,
Non tantum Eunuchos, generis queis nulla facultas
Augen-

Augendi, dixere Patres, ſed Regis in aula
Qui præerant ſimili ſignabant voce Miniſtros.
Interea Judas fratreſq. gregeſque relinquens
Celſo deſcendit monte, & ſeceſſit ad Hiram
Odolamitem, atq. illic dum forte moratur
Virginis illecti ſpecie præcordia cæcus
Vicit amor, fuit illa Sue de ſemine Chanan
Conjugioq. avidum concordi explevit amore.
Reddidit exactis hunc lætum menſibus Uxor
Enixa (Her genitor fecit cui nomina) natum;
Inde alium genuit quem Mater dixerat Onam,
Tertius ex alvo egreditur, quem Sela vocarunt.
Tempora progrediens Her ad jucunda juventæ
Inſigni Thamar aſpectu, vultuq. decoram
Ducit, at Omnipotens hunc in ſcelus omne ruentem
Oderat & dulci ſpoliavit lumine vitæ.
Mox Judas Onam acceſit, juſſitq. jugali
Se ſociare Thamar nodo, nam jura petebant
Fratris ut extincti uxori ſe jungeret alter;
Aſt Onam functo ne conjux pignora fratri
Concipiat, leges violat, ſupremaq. juſſa
Naturæ; hinc fraudes Deus haud perpeſſus iniquas,
E vivis citius rapit hunc quam, nubila venti.
Tunc Judas nurui: eſto tui genitoris in æde
Nulli juncta viro, donec compleverit æquos
Sela annos, ſed verba dolis inſtructa ferebat,
Nam timuit fratrum ne triſtia fata ſubiret.
Thamar abit, patrijſq. focis innupta moratur,
Conjugia expectans, at ſpes deluditur annis.
Nata Sue interea læthali obnoxia morbo
Occidit, utq. dies explentur funeris atri
Dulcia capturus Judas ſolatia ruri
It tonſum pecudes: Hira comitante ſodalem
In Thamnas, ubi prata dabant balantibus herbas:
Thamar iter ſoceri ad campos jam nacta futurum

Cogi-

Cogitat inſidias, & caute fallere euntem.
Namq. viro nondum poſt longos jungitur annos.
Pallia, quæ viduæ geſtant lugubria, dorſo
Exuit, & varijs, variiſq. coloribus ornata
Se pannis, velata caput, cum ſyrmate longo
In bivio explorans ceu turpis fœmina ſedit.
Quam videt ut Judas ignotæ captus amore
Huic ſeſe imprudens infando fœdere jungit,
Annulum, & armillam, & baculum, dum mitteret hædum
Huic arrham dederat, quia fœmina Patris ad ædes
Detuliſq. ac ſervat, viduæ mox rurſus amictu
Horrenti induta hîc alvo fœcunda moratur.
Paſtorem interea Judas ad ovilia miſit,
Qui tollens hædum ad bivium ſe ferret, ut illum
Fœminæ in obliqua donaret ſede jacenti,
Oblatamq. prius ſibi reddi expoſceret arrham.
Protinus it hœdi cuſtos, dat juſſibus aures
At nullam mœrens cui tradat cernit ubique.
Luſtrat agros, & Paſtores armenta ſequentes
Flagitat, in bivio pretioſa in veſte ſedentem
Vidiſtiſne viri? Paſtores talia reddunt:
Hac non fuit in noſtris infamis fœmina terris.
Cuncta refert cuſtos domini regreſſus ad ædes.
At Judas: mulier mihi debita dona recepit
Imputet ipſa ſibi, nobis fuit æqua voluntas.
Cum ter obliquas attingeret orbita metas
Lunæ clara ſuas, gravis eſt jam pondere Thamar.
Fama volat, lateq. ſcelus diffunditur, alvo
Jam tumidam viduam ſanctum violaſſe pudorem.
Accipit id Judas, & magna percitus ira
Undiq. concurſat, tectumq. his vocibus implet.
Ligna parate, ignem inferte, & componite fulcrum
Eja agite, ad flammas compellite, & urite ſontem,
Cur ceſſor in pœnis? tua cur ſententia præceps?

Heu

Heu proli ſaltem innocuæ, quæ clauditur alvo,
Parce, ſimul noli miſeram cum matre cremari.
At Thamar, ad ſævos dum mœrens ducitur ignes,
Annulum, & armillam, & baculum, quæ provida ſervat,
Ad Judam mittit, quem dictis convenit iſtis:
Si tu quis noſtrum violare ſit auſus honorem
Noſcere forte cupis, ſigna hæc te certa monebunt.
Nam cujus fuerint quæ mitto munera noſti.
Obſtupuit Judas: in laudem vertitur ira,
Atque has effundit voces: me juſtior illa,
Cui dedignatus promiſſum jungere Selam;
Sed nullo poſthac acceſſit tempore ad ipſam.
Ut partu hæc premitur, fœtus geminatus in alvo
Apparet, primum & prodire è ventre parentis
Viſa manus pueri, obſtetrix quam cauta ligavit
Purpureo nexu, prior egredietur ad auras
Iſte; ſed inde manu contracta, naſcitur alter.
Addidit hæc mulier: cur tam tu dividis iſtam
Maceriam, tentaſq; tuum præcedere fratrem?
Nomen erit Phares; alius cui viſa nitebat
Rubra manus bibit inde auras, quem Zara vocavit.
(a) His tamen arcanum latitat mirabile ſignis:
Poſthabitam ex Phares Synagogam novimus illi,
Cui primum promiſſa ſalus, & Regna parata,
Succedunt, ſpretoq; fruuntur munere, gentes.
Quas modo Zara notat, cui dextera cingitur oſtro
Sanguinis irriguo, veluti de rore laventur.
Putiphar interea Joſeph venundatus ædes
Incolit, huncq; oculis dexter Deus aſpicit æquis:
Hinc quæcumq; ſibi mandata negotia fauſtis
Expedit ominibus, nec hero, qui talia norat,
Et juveni ſummam rerum commiſerat omnem,
Et regimen famulos eſt inter gratior alter,
Nec meruere illi, nec maxima præmia deſunt.

Namq.

(a) *Iren. lib. 4. Theodoret. quæſt. 97.*

Namq. ipſum Pater Omnipotens ex axe labori
Aſpirans Joſeph, agris, atq. ædibus auxit.
Dum pius interea rerum cui cura manebat
Cunctarum juvenis nulla fit ditior arte.
Et ſervare æquum aſſuetus, qua veſcitur eſca
Contentus; longos placida fert mente labores.
Sed felix Joſeph ſors immutata repente eſt.
Principis uxor erat, cujus puer ore venuſtus
Pendere imperio, at cauta ſub lege, ſolebat.
Auream at illa comam, roſeum os, oculoſq. nitentes
Illius obſervans, cæcis obnoxia flammis
Immota in pulchrum figebat lumina vultum
Innocui juvenis, fœdumq. bibebat amorem.
Tandem, quod tacito ſervabat pectore vulnus,
Detegit, infandiq. vices depoſcit amoris.
Palluit attonitus, convertit lumina retro
Caſta rubens Joſeph, verecundo hæc ore locutus:
Me cunctis dominus præfecit, in omnia ſummum
Tradidit imperium mihi, nec rerum ille ſuarum
Conſcius eſt, noſtræ ſunt credita ſingula curæ,
Te præter, lecti quæ fœdere jungeris ipſi;
Aſt ego ſidereo ſpectantis ab æthere terras
Numinis oblitus, legiſq. oblitus avitæ,
Et fidei, poſſum domini maculare cubile?
Hæc inquit, dominamq. celer, thalamumq. relinquit.
Nulla dies aberat, qua non hunc fœmina dictis
Tentaret ſuetis, eadem ſed verba recepit,
Auribus indignans, at cedere neſcia, vultu
Audaci inſtaurat niſus, quos ille repellit;
Nec tamen inſanæ fixas in pectore flammas
Imminuit, majorem animi quin ſuſcitat ignem.
Dum quondam ingreſſus, ceu munus poſtulat, ædem
Intentus puer eſt operi, nullaſq. propinquis
Arbiter in tectis, mulier cui tempora nullo

Teſtę favent, artes renovat veſana doloſas,
Fortius aggreditur Joſeph, & pallia captat,
Et trahit ad ſeſe puerum, excutit ille, manuq.
Linquit in audaci properos tardantia greſſus,
Atq. Euro ſimilis ſeſe in ſua tecta recepit.
Attonitis oculis, ac ore illa adſtat hianti,
Immota haud aliter, quam qui Cœli ignibus ictus
Pallia ſola videns digitis pendentia vanis.
Implicitam venator avem ſe abſolvere viſco
Nitentem inſpiciens ſurgit capturus, at illa
Excutiens alas, dum carpere proximus ardet,
Se levat, & rapido Cœli petit ardua curſu,
Nequidquam ſequitur labentem, atq. alta ſecantem
Ille oculis, donec velox in nubila fugit.
Tunc terras hic calce quatit, fremit, irrita ſpargit
Vincla furens, mordet digitum, & ſe clamat inertem.
Haud aliter mulier curſu decepta fugaci
Erepti Juvenis, quem captum inſana putabat,
Dentibus infremuit, laniat furioſa capillos,
Cum fremitu gemitus miſcet, torvoq. recurſans
Veſtem oculo, exuviæ infames, exclamat, iniquæ
Sortis cauſa meæ, merito vos pœna relictæ
(Teſtor corde Deos) eritis; non poſcit inultum
Hæc decus, & domino reddetis præmia veſtro
Faſtu digna ſuo, noſtros qui ſprevit amores.
Nunc nunc me expediam, pectuſq. expleſſe juvabit
Irarum flammis, ait hæc, & ſurgit, & amens
Undiq. concurſans magnis clamoribus aulam
Implet, & hinc famulos, famulas hinc evocat, omnes
Conveniunt, cauſaſq. petunt, tunc talia fatur:
Proh ſcelus! Hebrœum conjux induxit in ædes
Incautus famulum, ut nobis illuderet: audax
Haud veritus nuper noſtri conſortia lecti
Poſcere, & (infandum!) domini tentare cubile.

 Cumq.

Cumq. ego miſiſſem validas exterrita voces.
Ille metu trepidus, quæ dextra arrepta tenebam,
Pallia relliquit, curſumq. per atria cœpit.
Sic fœdum vertit facinus quod iniqua petebat
In Juvenem, ſeriemq. dolis rerum implicat omnem.
Putiphar interea redeunti fœmina fletu
Fuſa oculos, ſimulanſq. altum ſub corde dolorem,
Protinus occurrit, nec non paria ordine narrat.
Hebræum Juvenem, cui ſingula crederet, auſum
Sollicitare fidem thalamo, tædaſq. jugales,
Vimq. inferre ſibi, fraudum ut ſecura manebat,
Clamoremq., fugamq. addit, veſtemq. relictam,
Et ſimul oſtentat pendentia pallia dextra.
Ceu ſceleris famuli, & proprii monumenta pudoris.
His dictis, viſuq. acri dux æſtuat ira,
Et jubet in nigras detrudi carceris umbras
Joſeph; jamq. manus vinctum poſt terga catenis,
Et dominæ culpam, & purum ſe labe tacentem,
Innocuum rapiunt famuli, quem cernit ut Uxor.
Impia læta tumet, ſecumq. hæc ore profatur:
Si perferre meos es dedignatus amores,
Nunc odium perfer, nunc ſpernere diſce potentem
Fœminam, & iratam fugiendo reddere amantem.
At tacitus Joſeph trahitur, vultuq. ſereno
Hæc patitur, ſoliq. Deo pandenda reſervat,
Qui videt inſontes, & fœdo crimine turpes;
Et meritas æquus pœnas, aut præmia reddit.
Sed Deus in cœco miſeratus carcere Joſeph
Fraudibus incluſum dominæ, inſidijſq. nefandis,
Cuſtodi in Juvenem cœleſtem inſpirat amorem.
Hinc ipſi in cunctos, quos vincula ſæva premebant,
Traditur imperium, omneſq. æqua lance gubernat
Divino Joſeph perfuſus lumine mentem.
Carceribus præerat tunc Putiphar ipſe, doloſq.
Noverat

Noverat uxoris, fœdoq. a crimine purum
Jamdudum Juvenem, metuens ſed conjugis iram
Haud jubet hunc atris educi è carceris umbris.
Eunuchi interea bini, qui tendere Regi
Inſidias auſi Piſtor, Pincernaq. eodem
Carcere clauduntur, Joſeph ubi longa trahebat
Tempora; vulgari non hi de gente creati;
Panibus invigilat, menſæq. liquoribus alter.
Carceris hos Præſes Joſepho mandat alendos,
Ingenuo tuti quo ſub cuſtode manerent,
Atq. his æternum parvo poſt tempore Numen
Nocte una variæ prænuncia ſomnia ſortis
Immittit, quæ mane novo dum mente revolvunt,
Mœſta ferunt ora, atq. ingens timor occupat artus;
Quos ut conſpexit Joſeph, quæ cauſa dolorum
Veſtra eſt expoſcit? quidnam tam pectore mœſtos
Vos hoc ſole novo video? dixere paventes:
Somnium in occultis ambo nos vidimus umbris,
Abdita nec nobis eſt qui myſteria pandat.
An caret ingenuo Omnipotens interprete Rector?
His Joſeph, vobis quæ ſint oblata docete
Somnia per tenebras, veroſq. attendite ſenſus.
Tunc pincernarum eſt orſus ſua ſomnia Præſes:
Vidi ego ſurgentem, ternaq. propagine lætam
Ante oculos vitem in tumidas ſubcreſcere gemmas,
Poſt flores, uvas hinc matureſcere vidi,
Quas ego decerpens pendentes vite putabam
Has premere in cyatho, Pharao quem porrigit auro
Fulgentem multo, feciq. his pocula Regi.
At vates illi fauſtæ hæc ſunt omina ſortis.
Trinos terna dies ſignat de vite propago,
Poſt quorum curſum Pharao moderabitur iram,
Officiiq. tui memor ad primum ipſe vocabit
Te munus, Regiq. dabis, velut ante ſolebas,

Pocula, tu vero fœlici tempore noſtri
Sis memor, & noſtræ quæſo miſerere juventæ;
Atq. preces adhibe, Rex ut me carcere ab imo
Eripiat miſerum tam longo tempore clauſum;
Namq. Hebrœorum furtim ſublatus ab arvis
Ipſe fui, innocuuſq. lacum demiſſus in iſtum.
Somnia Pincernæ, piſtorum obſcura magiſter
Ut ſupero advertit diſſolvere lumine vatem,
Enarrare ſua auguriis illectus amici
Incipiens; albæ tria magna caniſtra farinæ,
Dixit, ego vidi, aſt aliis excelſius unum,
Et dapibus format quas ars piſtoria plenum,
Impoſita eſſe meo capiti, volitare videbam
Inde eſcas circum rapturas ungue volucres;
Tunc Augur divinus ait: tibi triſtia viſus
Omina portendit; cum ter ſol aureus undis
Extulerit caput, infandis te carcere ab alto
Eductum Pharao ſuper alta patibula (cæſo
Ex humeris collo) è truncis pendere jubebit,
Turbaq. de cœlo ſtridens elapſa volucrum
Diſcerpet tua membra rapax, & viſcera carpet.
Ecce reos inter binos in imagine Joſeph
Iſti dum mortem, vitam prænunciat illi,
Æterno ſignat genitum de Numine Numen,
Quod geminos inter crudeli in funere ſontes
Hunc ad perpetuæ deducet lumina vitæ,
Perpetuas illum mortis damnabit ad umbras.
Tertia jamq. dies aderat, quæ Regis ob ortum
Annua currebat celebri ſignata triumpho,
Principibuſq. ſuis convivia in æde parabat
Regali Pharao ſublimi ſplendida luxu,
Inter convivas, cyathos, epulaſq., reorum
Rex memor eductum Pincernam è carcere primo
Reſtitui officio, laturum pocula Regi,

Piſto-

Piſtoriſq. jubet ſuſpendi corpora trunco,
Vatis ut augurium divini juſſa probarent.
At Pincerna cavo detenti fornice Joſeph
Immemor eſt aulæ ad magnos revocatus honores,
Nam miſeros quondam reddit fortuna ſuperbos,
Nec miſera comites memorant in ſorte relictos.
Et jam ter curſu totum ſignaverat axem
Sol, ex quo nigra Joſeph in carceris umbra
Ingemit, & geminos Mundo portaverat annos
Regali poſtquam Pincerna moratur in aula,
Et primum exercet poſt horrida vincula munus.
Cum Deus auxilium Juveni, optatumq. levamen
Attulit: in Regem per opaca ſilentia noctis
Immiſit ſignis abſcondita ſomnia cæcis;
Tunc Pharao involvens timidas ſub pectore curas,
Cum vix orta dies, thalamo ſurrexit ab alto,
Nec mora; qui pandant obſcura inſomnia vates
Acceſſit quæcumq. docens, quæ vidit in umbris;
Sed nulli oblatis arcana latentia ſignis
Noſſe datur, gravior Pharaonis pectora terror
Occupat, ignari num læta an triſtia ſignent.
Hic demum variæ repetens diſcrimina ſortis,
Quæ paſſus, Joſeph meminit Pincerna, metuq.
Perculſum Regem petit illicet, atq. ita fatur:
Peccavi Rex Magne; æqua tu percitus ira
Includi quondam me, piſtorumq. magiſtrum
Carcere, quem regit Ægypti qui præſidet armis,
Juſſiſti, & vigili cuſtode utrumq. teneri.
Nox erat, atq. levem carpebant membra quietem,
Signa futurorum cum ſomnia vidimus ambo:
Hic erat Hebrœus (famulus qui Principis olim)
Forte puer, cui quiſq. ſuos ex ordine viſus
Enarrans, audit quæ verè ſignat imago,
Nam mihi primus honos (veluti prædixerat Augur)

Red.

Redditur, ac trunco infelix ſuſpenditur alter.
Audit ut hæc Princeps eductum ex carcere Joſeph
Ad magnam juſſit deduci protinus aulam;
Vix trepidi accipiunt Regalia juſſa miniſtri,
Ex atris caſtus Joſeph educitur umbris,
Tondentur crines, & mundis veſtibus artus
Ornantur, fœda nam veſte, aut corpore fœdo
(a) Nulli fas Regis ſedes accedere ad altas.
Veſtibus accinctus Joſeph, & corpore lotus,
Cui Proceres comites, ad celſa palatia juſſum
Carpit iter, luſtrans prius atria longa, penetrat
Interiora domus, ſapiens ubi Principis adſtat
Juſſis turba ſenum, argentoq., auroq. nitentum.
Regia tecta patent, ſcamnis ubi conſidet altis
Gemmarum vario ſignatis ordine, & auri
Rex Pharao ore gravis, majeſtatemq. ſuperbam
Oſtentans, multo ſtipatus milite circum.
Ut videt hic Juvenem, Solio ſic orſus ab alto:
Somnia per noctis nos plurima vidimus umbras,
At nemo eſt horum norit qui pandere ſenſum,
Hac te Divina præſtare audivimus arte;
Atq. futurarum ſecreta exponere rerum,
Cui Joſeph inquit, tali non dignor honore,
Sed Deus, haud ego, reſpondebit proſpera Regi.
Tunc narrat Regnans; in ripa fluminis alta:
Eſſe videbar ego, emergentes amnis ab alvo
Cum ſeptem venere boves pinguedine pulchræ,
Atq. in limoſis tondebant paſcua ſtagnis,
Has ſeptem informes macie, exileſq. ſequuntur,
Quales in noſtris nunquam conſpeximus arvis,
Quæ pingues avido congreſſæ dente vorarunt,
Nec ventris ceſſat rabies, atq. ardor edendi,
Et fœdæ velut ante manent in limine ripæ.
Protinus excitior ſomno mox lumina rurſus

Ægra

(a) *Herod. lib. 11. cap. 36.*

Ægra premit ſopor, & mentem nova ſomnia terrent.
Exurgunt uno ſpicæ de cœſpite ſeptem
Formoſæ, atq. graves, totidemq. uredinis æſtu
Percuſſæ, ac tenues culmo exoriuntur ab ipſo,
Quæ pulchras, gravidaſq. vorant: Hæc ſomnia Regis.
Non flumen, Regis, quod monſtrat viſio tantum
Nili ramus erat de ſeptem, proximus urbi
Tanis, quæ Regum ſedes, unde ille vocatur
Taniticus Peluſiaci contra ora canalis.
Nilus ab effuſis, quibus abluit arva, fluentis
Indicat, an vacuus fuerit, vel fertilis annus.
Hinc vaccæ præbent queis paſcua læta paludes
Signant, quo Nilus felici acceſſerit unda,
At, quæ deformes in littore paſcua carpunt,
Oſtendunt metam, quam non exceſſerit amnis.
His igitur cauſis cœleſti lumine ductus.
Eſt unum, o Princeps, quamquam variabile ſignis
Somnium, & Omnipotens vult hoc oſtendere viſu
Eventura tuis duplici ſub imagine Regnis;
Pingues namq. boves, ſeptem atq. in germine ſpicæ
Formoſæ fructuq. graves tot fertilis annos
Fœcunditatis monſtrant, totidemq. per annos
Vaſtatura tuas frugum penuria terras,
Confectis macie bobus, exhauſtiſq. calore
Innuitur ſpicis, venietq. hoc ordine tempus:
Fertilitatis erunt nullo diſcrimine ſeptem
Anni, his æquales numero ſuccedere cernes
Inde alios, ſterileſq. areſcent ſemine campi,
Et quæ præteriit tantarum copia rerum
(Improba namq. fames cunctis dominabitur oris,
Et magno abſumet cerealia in horrea meſſem
Illatam ſtudio) jam non memorabitur ultra.
Unam bina docent rem ſomnia, imagine firmat
Poſterius ſummi voces, monituſq. Tonantis

Atq.

Atq. ea, quæ celeri portabunt tempora curſu.
Tu modo ſolerti præſtantem delige mente,
O Rex Magne, virum, Ægypto qui præſit, & omni
In regione pari inſignes virtute miniſtros
Conſtituat, quorum ſtudio pars quinta feratur,
Dum præit ubertas, Regalia ad horrea frugum.
Principis ad nutum ſervetur in urbibus omnis
Copia frumenti, ſeptem ſic conſulet annis,
Cum ſata non reddent arentes ſemina campi,
Nec gens in regno exurie conſumpta peribit.
Conſilium Regi placuit, Regiſq. miniſtris
Tum Pharao hæc illis: puero præſtantior iſto
Ecquis erit tanto perfuſus lumine mentem,
Afflatuq. Dei? Joſepho hæc poſtea: quando
Cuncta tibi Deus oſtendit, quæ fatus, in oris
Ægypti nullus tibi par, ſapientior alter
Haud erit, ergo tibi cunctarum ſumma mearum
Stat rerum, curiſq. tuis innititur Aula;
Imperijs gens noſtra tuis obtemperet, uno
Te ſolij tantum præcedam limite regni.
Mox iterum ecce ſuper cunctas, quas abluit Urbes
Nilus, te ſtatui: Pharao ſic dixit, & auro
Annulum, & ex multis rutilantem in imagine gemmis
Detrahit ille ſuis digitis, illoq. miniſtri
Ornavit dextram, biſſi ſtola contegit artus
Inde triumphalem juſſit conſcendere currum,
Illi, quo fertur Princeps, qui proximus ibat,
Clamante interea magnam præcone per urbem:
Ante virum Regis juſſu ſe poplite flectat
Quiſq. humili, Ægyptiq. illum in regione miniſtrum
Eſſe omnes inter noſcat gens noſtra priorem.
Excelſo in curru, qui carceris ante gemebat
In tenebris, ſedet, ac ſervum plebs omnis adorat.
Dein Juvenem verbis Rex eſt affatus amicis

Digitized by Google

Rex Ego ſum Pharao poſt me te noſtra ſecundum
Aſpiciet Regio, ſine te nil præſide fiet.
Poſt nomen Joſeph vocem in (a) Pſontonphanek (orbis
Servator, dicunt alii, Vir ſomnia pandens)
Convertit Pharao. Interea Rex junxerat illum
Conjugijs Anaſeth, clara de ſtirpe Sacerdos
Quam Putiphar Heliopoleos in Tane crearat.
Hic idem fertur (varia, at ſententia Patrum) (b)
Cui jam ſervierat Joſeph, quem perfida Conjux
Ad ſcelus infandum conata impellere fruſtra
Ærumnis miſerum involvit: Sed filia matris
Cui fraudes notæ, & Juvenis probitaſq., fideſq.
Cuncta refert Patri; hinc Joſeph quia ſervat honorem,
Illi inſperato ſe vidit fœdere junctam.
Triginta Joſeph jam dinumeraverat annos
Extulit hunc Rex cum prima ad faſtigia Regni,
Ægypti extremas qui jam digreſſus ad oras
Dum ſeptem annorum per jugera pinguia regnat
Fertilitas, & flava ceres tondetur in agris,
Providus adſtabat, miſeris ut conſulat annis.
In magnos tandem meſſis deducta maniplos
Ægypti ex agris defertur in horrea, cogit
Vim ſegetum immenſam, quæ ponti exæquet arenas,
Menſuraſq. omnes frumenti copia vincit.
Hæc inter Joſeph binos ex conjuge natos
Excepit, quorum prior a genitore Manaſſes,
(Ecce domus patriæ, ac oblivio grata laborum
Qui ſonat (eſt dictus, vitæ bibit alter ut auras,
Creſcere me Deus in terra quia fecit egenum
Hunc Ephraim dicam, læto Pater addidit ore.
Poſt ubi fœcundos reddunt qui meſſibus agros
Præteriere anni, ac longi ſuccedere menſes
Adverſi, ſapiens veluti prædixerat augur,

V Cæ-

(a) *Euſeb. præp. l.x. c.4.* (b) *Orig. in Caten. Hieron. in quæſt. Hebr. Torta*,

Cœpere, irrorans agros è littore Nilus
Haud exit, Cœliq. negant conſpergere campos.
Herbæ in ſtipitibus, flores moriuntur in herbis,
Concepti pereunt fructus cum floribus omnes.
Jamq. fames late terras dominatur in omnes,
Attamen Ægypti in Regno, cui præſidet Augur,
Panis erat, tantum quem ſervant horrea Regis,
Hinc oppreſſa fame, Regem clamoribus urget
Infelix turba, at Pharao miſeratus egenos,
Ite, ait, ad Joſeph, & quidquid dixerit ipſe
Vos agite: his dictis fit concurſuſq., fragorq.
Præſidem ad Ægypti, via quæq. eſt arcta catervis.
Garrula ſturnorum veluti ſtridentibus alis
Quærens turba cibum, glomeratur, & aera fendit
Hinc illinc crocitans, ſi forte invenerit eſcam
Illuc tota ruit; pars inſidet arboris ulmis,
Pars circumvolitat, ſulcos hæc curſitat imos,
Ac illa effoſſæ raucas in cæſpite glebæ
Dat voces, donec ſatura ad loca nota redivit:
Sic populus præceps ad ſumma palatia Joſeph
Fertur, & innumeris clamoribus atria complet.
Et confuſa cohors premiturq., premitq. viciſſim,
Urgeturq. humeris; hi ſtant ad limina, partim
Ad portas alii ſuper arcta cacumina clamant.
Ille columnarum ſtipites, hic occupat arcus,
Hinc ululant, illinc ſtrident, & pabula poſcunt.
Tunc pius egreditur Joſeph, atq. horrea pandit
Turbæ, quæ è variis convenerat advena terris,
Quas urget maleſuada fames, frumentaq. cunctis
Æquo partitur pretio, eſuriemq. refrenans
Ad ſua, quoſq. cibis oneratos tecta remittit.

GE-

GENESIS LIBER QUARTUS

INterea Chanaan quoniam penuria terram
Hæc eadem affligit, ne perdat ſeq. ſuoſq.
Dira fames, Jacob Nili venumdari in arvis
Cum meſſem audierit; natos ſic ore monebat:
Cur non ad pingues Nili deſcenditis Urbes,
Ut nobis eſcas, alimentaque grata paretis,
Ne frumento inopes una pereamus inertes?
Dum fratres abiere decem, cum patre relinquunt
Beniamin (timuit Jacob per longa viarum
Strata puer ſubeat ne cæca pericula ductus)
Jam tetigere ſolum Ægypti, ingreſſiq. potentem
Sunt Urbem emptorum multa comitante caterva
E Chanaan, ductiq. omnes ad limina magni
Præſidis ære dato ſegetes, frumentaq. poſcunt.
Obſtupuit Joſeph, fratreſq., haud cognitus illis,
Cognovit, tenerumq. imo, quem ſenſit, amorem
Corde premens ipſos dictis affatur amaris:
Unde iter? & noſtram cur acceſſiſtis ad urbem?
Venimus è Chanaan, reddunt reſponſa trementes
Empturi ſegetes; memorans tunc ſomnia Joſeph
Exploraturi has, inquit, veniſtis ad arces,
Atq. infirma trahit vos mœnia viſere cura.
Ne tales quæſo nos Princeps optime rere.

Has tantum ſegetes empturi acceſſimus oras,
Ingenti fratres tacti dixere pavore:
Nos uno cuncti genitoris ſanguine creti
Pacem portamus, nec fraudes tendimus ulli.
Non ita, tunc Joſeph, ſed non munita, doloſis
Fraudibus acceſtis ſcrutari mœnia; at illi;
Semiſſe bis ſeni fratres patris unius orti
In Chanaan ſumus, hic deni adſtamus, in ulnis
Nam minor eſt patris, ſupereſt nec fratribus alter.
Tunc iram ſimulans majorem in pectore Præſes
Addidit hæc: noſtri luſtratum mœnia Regni
Veniſtis; jam veſtra ſatis fraus cognita nobis.
Nunc vos experiar; per Regis juro ſalutem,
Amplius hac nemo veſtrum diſcedet ab aula,
Ni minimus veniat Chananeus frater ab arvis.
Ex vobis unum patrias dimittite ad ædes,
Adducat puerum, firmoq. in carcere vincti
Serventur reliqui, donec quæ dicitis ipſi
Verane ſint norim, an pellaci condita fraude.
Nam ſecum explorare urbem veniſtis, & arces.
Sic ille; & vinclis ſervandos tradidit omnes.
Ter ſol Oceano occubuit, ter lumina terris
Reddiderat, fratreſq. cavis revocantur ab antris,
Quos ita convenit Præſes; ſi vivere gratum
Eſt vobis, celeres mandata faceſſite noſtra,
Namq. Deum timeo, nec vos occumbere morti
Ipſe feram; pacem ſi fertis, carceris unus
In tenebris obſes maneat; dum venerit alter
Mœnia ad hæc, ite, & vitam ſervabitis omnes.
Annuit ignoto fratri tam dura jubenti
Turba dolens patriæ alterno hæc ſermone locuta:
His merito luimus pœnas, peccavimus olim
In fratrem, oranti veniam, pacemq. negantes,
Hinc nos tanta premunt nunc infortunia, totq.

Adverſi

Adverſi cruciant caſus, curæq. moleſtæ.
Ante omnes queritur Ruben, & talia fundit:
Heu quoties monui vos: ſævum è corde furorem
Ponite, & invidiæ ſtimulos, ne lædite fratrem
Innocuum, & mea verba leves abiere per auras;
Nunc Deus inſontis pœnas pro ſanguine poſcit.
Sermonem ignotum, (hæc patria nam voce profantur)
Eſſe putant Joſeph interpretis ore locuto.
Præſidis interpres gnatus puer eſſe Manaſſes (a)
Fertur, ad octavum qui jam pervenerat annum.
Flens his auditis paulum ſe avertit ab illis
Joſeph, hinc rediens, & pauca adſtantibus addens
Cunctorum ante oculos Simeonem in carceris umbras
Detrudi juſſit, nectiq. huic corpora vinclis.
Fama eſt ex reliquis Simeonem fratribus ira (b)
Majori in puerum quondam exarſiſſe priorem,
Hortatumq. alios ut fratrem cæde necarent;
Hunc ideo vinclis Joſeph damnavit, ut atrox
In fratrem tacita crimen dum mente revolvit,
Pœniteat facti memorem, veniamq. precetur.
Clam poſt accitis Præſes dat juſſa miniſtris,
Ut multo fratrum repleantur ſemine ſacci,
Atq. horum ſummo oblatum condatur in ore
Aurum, ac apta viæ ſuperaddit pabula longæ.
His ita compoſitis callem arripuere dolentes
Sæpe ſui memores ſceleris, paſſimque gemebant
Tantorum cauſam (ſatis his quæ nota) malorum:
Cum peccant homines, nec Cœlum fulmina torquet,
Haud metuunt culpam, ſed cum detorſerit ignes
Tunc peccaſſe horrent, & quæ ſint crimina noſcunt.
Ex his unus erat, qui dum ſecat ardua callis
Deponit Saccum, quo feſſo pabula aſello
Præbeat, atq. aurum quod pactis ſolverat eſcis
Sacculi in ore videns, ſtupuit, monuitq. ſodales;
Hinc

(a) *Vid. Calm.* (b) *Theodor. q.* 103.

Hinc omnes trepidant alterna voce querentes
Cur Deus hoc nobis? longo poſt tempore tandem
Deducti, ingreſſiq. domum, docuere parentem
Quos caſus experti, ac his ſermonibus orſi:
Ægyptum ingreſſos vir ab ipſo Rege ſecundus
Ut vidit verbis nos eſt affatus acerbis,
Exploratores Urbis, Regniq. putavit.
At nos: huc pacem ferimus, nec venimus ullas
Moliri inſidias, tales ne rere precamur.
Nos pater unus habet bis ſenos ſanguine fratres;
Qui minor hunc apud eſt; Sed pluribus alter ab annis
Non ſupereſt, aſt ille inquit vos vera fateri
Tum fuerit mihi certa fides, ſi ad noſtra minorem
Mœnia ducetis fratrem, redeuntibus aulam
Tunc quoque reſtituam tutum quem carcere ſervo
Germanum, vobiſq. emere hinc quæcumq. licebit.
Sic monuere patrem, & ſaccos dum fruge tumentes
Evolvunt, quod quiſq. ſuum numeraverat aurum
Comperit obſtructum, ac gelidus timor excutit omnes.
Hiſq. ait illacrimans Jacob: mihi nulla ſuperſunt
Pignora, jam Joſeph meus occidit, obſes in arctis
Eſt Simeon vinclis, atq. atro clauditur antro.
Nunc etiam noſtris Benjamin rapietur ab ulnis
Omnia me ſuper infortunia ſæva feruntur.
Cui Ruben: bini mihi ſunt pater optime nati,
Ni tibi reſtituam puerum, hos interfice cultro;
Crede meis illum manibus, tutumq. reducam.
Hæc ad tecta. Parens hæc addidit ore trementi:
Ægypti haud patiar puerum deſcendere in oras;
Mortuus eſt Joſeph, chara de conjuge tantum
Hic ſupereſt; puero deſerta per invia ſi quid
Adverſi acciderit noſtram mœrore ſenectam
Infando mortis vos deducetis ad umbras.
Interea veſana fames Chananea premebat

Jugera, finitimaſq. urbes, conſumptaq. meſſis
Omnis erat Jacob, tulerat quam lecta propago.
Providus hinc tali Pater eſt ſermone locutus:
Eſca deeſt; iterum Nili redeatis ad urbes.
At Judas illi: Regis qui præſidet aulæ
Juravit, minimus noſtras niſi frater ad ædes
Venerit, haud dabitur vobis me cernere poſthac;
Ergo Pater nobis comitem ni jungere natum
Te piget, Ægypti regalem rurſus ad urbem
Corripiemus iter, grataſq. parabimus eſcas;
Si ſecus, eſurie his potius moriemur in agris,
Nam Regni Præſes (quod crebro diximus) ora
Nos ſua viſuros, Beniamin abſente, negavit.
Tum Pater ore trahens mœſto ſuſpiria, nempe
Ut miſer ipſe forem narraſtis talia, eodem
Bis ſenos fratres ortos de ſanguine, at unum
Occubuiſſe, alium Genitoris in æde relictum.
Illi autem: cupidus cognoſcere ſingula Præſes
Depoſcit vivat ne Parens, aliuſne ſuperſtes
Sit frater? contra nos reſpondere petenti
Cogimur, inventæ ne creſcat opinio fraudis
(Ni reſponſa damus) quam Præſes mente fovebat.
Talia quis nobis illum mandata daturum
Crederet has veſtrum ad ſedes deducite fratrem?
Poſt tali aggreditur Judas ſermone parentem:
Mecum mitte tuum (haud timeas diſcrimina) natum
Da penetrare ſimul regales omnibus aulas,
Ne perimat nos cum parvis penuria natis,
Ipſe ego pro puero ſponſor; depone timorem
Ni Patrios Beniamin ſoſpes remearit ad agros,
Illum de noſtra repetas Pater optime dextra,
Infandoq. reum me crimine ſemper habeto;
Et jam nos flava Ægypti vidiſſet arena,
Atq. has cum puero rediiſſem rurſus ad oras,

Ni dum conſilium natorum , votaq. ſpernis
Interjecta viæ mora noſtræ tanta fuiſſet.
Audit ut hæc magnum Jacob in pectore bellum
Inſurgens , animum ſtudia in contraria vertit .
Adverſi quercum veluti de rupibus altam
Hinc , illinc quatiunt magno cum murmure venti
Ex imis donec radicibus eruta opacas
Corruit in valles præceps, & fracta quieſcit .
Non ſecus atra fames, & amor fera prælia triſti
Indixere patri ; fuerit qui fortior hoſtis
Neſcit ; ſed tandem ſuperat penuria victus ,
Annuit ; & charum ſtatuit dimittere natum ,
Alloquiturq. alios lacrymis madefactus obortis :
Si nos magna premunt cunctarum incomoda rerum ,
Meq. fames natum vobiſcum mittere cogit ; 11
Hunc ferte ; interea fructus quos gignere tellus
Noſtra ſolet, ſtacten, terebintum, & mella, reſinam,
Et ſtoracem , & fructus quos gignit Amygdalus arbor,
Sumite , quæ Domino reddatis dona potenti ,
Copia quam fertis quoq. ſit duplicata peculi ,
Ne pro triticea numerata pecunia meſſe
In veſtris fuerit tunc rurſus condita ſaccis
Forte per errorem ; parvum quoque ducite Patris
Solamen Beniamin , quo non eſt charior alter ,
Et vos Niligeri Præfecto ſiſtite Regni .
At vobis (ſupplex poſco) Deus adſit , & illum
Propitium , ac mitem reddat , fratremq. remittat ,
Quem cohibet vinclis , & quem nunc ducitis , ipſe
Hæc inter genita veluti ſine prole jacebo ,
At prius e patriis Juvenis quam abſcederet arvis
Convenit hunc genitor lacrymis conſperſus amaris ,
Ac collum amplexus mille addidit oſcula dulci .
Ingemuere ſimul , natus ſuper ora parentis ,
Et nati ſuper ora parens mœſtiſſima totus

Incur

Incubuit, teneris amplexi ambagibus ambo
Effundunt gemitus, circum longo ordine fratres
Et Patris, & pueri lacrymas comitantur amaras;
Sed mora cum noceat, victus namq. urget egeſtas,
Invitis gnatum evellunt genitoris ab ulnis,
E gnatiq. Senem manibus, dorſoq. jumenti
Impoſitum inſequitur genitor per longa viarum
Hunc oculis, donec viſus abrepta facultas.
Jam repetit longo notos in jugere calles
Parva phalanx, certaq. via pes fertur ad urbem.
Denique Regalis ſuccedunt mœnibus aulæ
Germani, & Joſeph puerumq., & dona trahentes
Se ſiſtunt: oculis hic poſtquam circuit omnes,
Ac una Beniamin, epularum juſſa miniſtro
Hæc dedit: in noſtri penetralia ducere tecti
Sit tibi cura viros, & plurima victima morti
Extemplo detur, latas pone ordine menſas,
Prandia lata para, mediam cum exegerit umbram
Alta dies, mecum accumbent ſedilibus omnes.
Annuit imperio, Dux hoſpitibuſq. præibat
Ille celer, verum fratres formidine capti
Extimuere dolum, & patriö hæc ſermone loquuntur.
Ex auro in ſaccis, quod nos invenimus, aulam
Nos jubet induci, fraudem ut componat iniquam,
Qua ſervire omnes cogant, rapiantq. jumenta.
Dein ſic in foribus fati ſunt ore miniſtrum:
Ne temnas audire empturi venimus ædes
Rurſus ad has veſtras, pretioq. paravimus eſcam;
Poſt hinc egreſſi ſaccos evolvimus intus,
Quod dedimus mercede, obſtructum invenimus aurum.
Neſcia mens fraudis nobis, nummiq. relati,
Argentumq. aliud tulimus, quo pabula dentur;
Quiſquis enim fuerit qui errore, aut fraude repoſtum
In noſtris aurum loculis immiſerit author

Nos latet ; hæc contra placido dedit ore miniſter :
Ponite corde metum ; redeat pax mentibus ægris,
Nam veſter Deus, & patris Deus aurea veſtri
Impoſuit ſaccis, nam prima pecunia, meſſis
Hinc latæ pretium, noſtras pervenit ad arcas.
Hæc ait, & Simeon eductum ex carcere lætis
Fratribus oſtendens, penetralia in alta ſereno
Deduxit vultu, fragrantibus abluit undis
Cuiq. pedes, aſiniſq. dedit quoq. pabula cunctis.
Ignotum interea rediturum ad prandia fratrem
Illi tranſvecta ex Chanaan jam dona parantes
Expectant, flexo venientem poplite adorant,
Donaq. dant humiles, quos comiter ille ſalutans
Pauca parente ſuper rogat, atq. hæc ore profatur.
Veſterne incolumis Pater eſt, placidamne ſenectam
Ducit, & æthereis etiam nunc veſcitur auris ?
Eſt ſoſpes, longoſq. implet feliciter annos,
Qui tuus eſt famulus, Genitor, reſponſa dedere
Germani, flexoq. hunc poplite rurſus adorant.
Hinc Joſeph adſtans medius, quem turba coronat,
Luminaq. attollens Beniamin, quem lucis in auras
Eduxit Genitrix eadem pulcherrima, amanti
Inſpexit vultu, ac fratres expoſtulat: ille
Eſt ne puer veſter poſtremus in ordine frater ?
Te pius aſpiciat, fili, qui ſydera calcat
Omnipotens Genitor ſolio miſeratus ab alto.
Nec plura effatur, nam dulci pectus amore
Æſtuat, atq. oculis ſe prima tumentibus offert
Gutta, & preſſa cavo erumpunt ſuſpiria corde ;
Hinc ſeſe eripiens ſecreta cubicula greſſu
Sollicito petit, atq. vias hic pandit amori.
E pueri ſpecie effigies jam nota Parentis
Corda ſubit, vivo lætatur fratre, ſed illam
Ingemit abreptam, cum luctu gaudia miſcens.

Poſtquam flere ſatur, gemituſq. emittere feſſus,
Ora lavat, nequis fletus veſtigia cernat
Egreditur, lautaſq. jubet diſponere menſas.
Tum vero accumbunt omnes, ſublimior inter
Erigitur ſedes oſtroq., auroq. ſuperba,
Occupat hanc Joſeph, in cujus fronte renidet
Majeſtas, pietaſq. ſedet, ſubſellia natu
Poſtea quiſq. tenet major, ſic menſa, locuſq.
Cuiq. datus, Benjaminq. ſuas habet ordine ſedes.
Ægypti at proceres adverſa in ſede remoti
Accumbunt, longus comitum quos dividit ordo,
Namq. prophana putant convivia proxima gentis
Hebrææ menſis: unde hic manaverit horror
Ex varia multæ ducuntur origine cauſæ.
(*a*) Incolæ in Ægypto communia pabula quondam
Horrebant aliis cum gentibus, impia cultro
Crimina credebant illarum ſcindere panem,
Aut vaſis, queis lata caro, fictilibus uti,
Cum, quæ Niliaci obſervant, animalia, cultu,
Uſæ epulis aliæ ſoleant diſcerpere gentes.
Inſuper Hebræos odiſſe feruntur in arvis
(*b*) Tamquam cuſtodes pecudum, qua mollis abhorret
Arte hæc pacis amans, & gens ignobilis ocj,
Hos fortes, belloq. habiles de rure timebat.
Dum menſæ hic major, minor illic inſidet ortu
Quiſq. ſuo, æquales Joſeph tunc dividit eſcas
Attamen ex cunctis majorem pondere partem,
Partibus ut quinque hæc aliis excederet, uni
Dat puero; obſtupuere omnes hoc munere fratres,
Quod natu minimus tali dignatur honore.
Cumq. ita quinque ſuo Benjamin, binaſq. reliquit
Ille ſibi partes, & fratribus obtulit unam;
Innuit ex ſeptem Liæ de ſanguine cretis
Plus præſtare duos qui matrem habuere Rachelem.

X 2 Poſt-

(a) *Herod. l.11.c.41.* (b) *Cunæus de Republ. Hebr.l.1.c.6.*

Poſtquam epulis depulſa fames, vinoq. potenti
Explevere ſitim cuncti, & ſermone trahebant
Tempora, ſurrexit Joſeph, famuliq. relictas
Solliciti exonerant menſas, ſaturiſq. ſalutis
Omina prædicunt, & lætus quiſq. recedit.
Accerſit domui qui præſidet inde miniſtrum,
Talia tum fatus Joſeph: his redde tumentes
Saccos meſſe ſuos, in quorum margine condes
Argentumq., aurumq. datum pro frugibus omne.
Illius in ſacco, paucos qui computat annos,
Una cum nummis argenti luce nitentem
Noſtrum conde ſcyphum; ſequitur tum juſſa miniſter.
Altera jamq. dies aderat, cœloq. fugarat
Sydera, cum ſtratis ſurgunt uno ordine fratres,
Sollicitiq. trahunt tuto è præſepe jumenta,
Feſtinantq. graves illis imponere moles.
Comiter expediunt tum ſe ſe a præſide læti,
Ac tanto gratos huic ſe pro munere ſpondent,
Ac ſemper memores ſe longa ætate fatentur;
Quos ille accipiens omnes ſermone ſuavis,
Ac iter exoptans felix, dimiſit ab aula.
Urbis ut è portis paulum exceſſere, ſagacem
Accerſit rurſus famulum, cui talia mandat:
Surge, viros celer inſequere, atq. his argue dictis:
Cur ſcelere infando benefacta rependitis? Ille,
Quem noſtri furtim domini rapuiſtis ab æde,
Eſt cyathus, dulces quo vini haurire liquores,
Augurioq. ſolet venientia pandere Præſes.
Crimen patraſtis, quo non atrocius ullum.
Ne quis fallaci incautus putet arte magorum
Ægypti implicitum Joſeph, rituq. prophano,
Ante pius Juvenis referet quam ſomnia opacis
Involuta umbris, ſummo libamina Regi
Argenti ſupplex patera litare ſolebat

Cœca

Cœca prophanorum vatum haud exempla ſecutus;
Sed quia vulgaris magicis hunc artibus uti
Turba putat, timuere rudes hæc omina fratres,
At Pręſes tentare illos; ac noſcere curat,
Quo in Benjamin eſſent animo, num prava voluntas
Viveret, anne amor in natum de ventre Rachelis.
Chaldææ Ægypto, Aſſirijs inoleverat uſus
Infando (a) rerum augurium componere ritu.
Hi pateram dextris, argentea lamina claudit
Quam varijs inſcripta notis, ante ora tenebant;
Verbaq. ſacrilego quædam, obſcuroq. ſuſſurro
Promentes nomen compellunt Dæmonis atrum,
Qui pateræ è fundo reſponſum ſibilat imo.
Nuncius interea tutos jam tramite euntes,
Sollicitoq. gradu, inſequitur, deſiſtite curſum
Exclamans, tardate fugam, ut vox advenit aures,
Currentemq. vident, ſociis comitantibus, illum,
Continuere gradus, arrectis auribus omnes
Inſtant, quæq. velit, poſcunt, & nutibus adſtant.
Cum prope ſe obtulerint comites, fiduſq. miniſter
Ingens tunc oritur rumor, clamorq. furentum:
Ite, tenete reos, ſocii, atq. innectite vinclis,
Et redeant Urbem; veſtrum ſit viſere ſaccos,
Queis tegitur ſcyphus, atq. onerum diſſolvite nexus;
Ac alia increpitans, quæ Joſeph dixerat, addit.
Attoniti his tremuere viri clamoribus, horror
It per membra, gelu decurrit ad oſſa paventum;
Cum ſic effatus, qui primus in ordine, ſervus:
Et ſtupor, & tremor invaſit; dixere: quid urges
Innocuos? tanto cur ſontes crimine credis?
Num forte inventum in ſaccis celavimus aurum
Annon rettulimus? domini quis carpere veſtri
Argentum, aurumve ex menſis clam cenſeat auſos?
Si quiſquam noſtrum fraudem eſt molitus iniquam

Cri-

(a) *Groti. Euſtat. in Odyſſ. Juli Firm. de fato cap.* 18.

Crimen morte luat, reliquos adducite ſervos,
Atq. jugo premite, ac duris innectite vinclis.
Tunc ait ille: vices vos fertis Judicis æqui,
Mitior at nobis animus, quem novero furem,
Servus erit tantum, innocuos ad tecta remittam.
Depoſuere ſolo ſaccos; tunc ordine quoſq.
Evolvunt famuli, & calicem in Benjamin acervo
Invenere, gelant inopino pectora viſu,
Et vox ore tremit, qua ſe purgare parabant.
Ex oculis pueri inſontis cecidere per ora
Guttatim lacrymæ, palmaſq. ad ſydera tollit,
Appellanſq. Deum teſtem, ſe crimine tactum
Monſtrabat nullo, appoſitis nec fraudibus uſum;
At ſi facta patent, ſunt irrita verba negantis.
Veſtibus exciſſis, oneratis turba jumentis
Urbem rurſus adit; primus cum fratribus aulam
Ingreditur Judas, ferturq. ad Præſidis ora.
Corruit in terram, ac alii ſe poplite curvant.
Queis Præſes: tantum ne auſi committere crimen?
Voſne latet quod me non ſit præſtantior augur?
Cui Judas: quænam Præſes tibi magne reponam?
Quæve dabo reſponſa, aut qua defendere fratrem
Nunc valeam ratione? Deus, Deus ipſe tuorum
Invenit labem ſervorum, en noſq., puerq.,
In cujus ſacco miſeranda ſorte repertus
Eſt ſcyphus, en omnes captivi juſſa feremus,
Imperiumq. tuum, dum nobis vita manebit.
Tunc, a me, Joſeph, Deus hoc avertat: abibit
Viſum quiſq. ſuum felix ad tecta parentem,
Atq. meo tantum raptor ſub jure moretur.
At propius Judas accedens talia fidens
Effatur, dignare tui dare vocibus aures
Nunc famuli, atq. tuo ne quæſo iraſcere ſervo,
Nam mihi poſt Regem tu primus, & alter ab illo es.

Tu,

Tu, cum nos veſtris primum ſucceſſimus oris,
Sit ne pater nobis, fraterq. expoſcis; at ipſi
Hæc dedimus reſponſa tibi, qui vera petebas:
Eſt ætate gravis Genitor, longaq. ſenecta,
Atq. alium in patria minimum relliquimus æde,
Solus qui ſupereſt matri (namq. occidit alter)
Ante omnes ipſi charus, charuſq. parenti,
Quippe eſt longævo grata de conjuge natus;
(Haud erat huic mater, nutricem nomine ſignat
Hunc, quæ in delicijs veluti genuiſſet habebat.)
Tu vero iſta jubes: minimum hæc ad mœnia fratrem
Ducite, & hunc oculis cernam, cum venerit, æquis.
Nos contra: patrijs puerum divellere ab ulnis
Quis noſtrum poterit? nam ſi dimiſerit æger
Infantem Genitor, vitales deſeret auras,
Quandoquidem vita puer illi eſt charior ipſa,
Tu dictis inſtas, ſi vos ſuccedere noſtris
Compulerit rurſus frugum penuria Regnis,
Iſtam ni minimus fuerit deductus ad urbem
Frater, me numquam poſthac ſpectare licebit.
Omnia rettulimus patri; mox imperat ille
(Namq. fames urget) rurſus deſcendere ab altis
Montibus, ac pingues Ægypti viſere campos;
At fruſtra reditum jubet hæc ad mœnia fratrem
Ni comitem jungat nobis ætate minorem.
Annuit hic tandem, & lacrymis hæc mixta profatur:
Chara mihi ex binis mea quos generaverat uxor.
Hic gnatus ſupereſt unus, cum bellua ſæva
Digreſſum in ſylvas alium laniaverit ungue
(Si qua fides vobis, noſtras qui fertis ad aures
Hæc) puerum noſtræ ſolamen dulce ſenectæ
Nunc rapitis, ſi adverſa ferat, ſi forte periret,
Dum longum decurrit iter, mœrore ſepulchri
Tactus ego celer ad tenebras ut fulgur abibo

Hæc

Hæc Pater: hinc chara cum nos ſine prole reverſos
Aſpiciet magno perculſus corda dolore
Occumbet, mœrenſq. atras petet illicet oras,
Ipſius a vita pendet nam vita parentis.
Mitte illum, ſervuſq. tuo ſub jure manebo,
Namq. meæ (genitor ſecus haud miſiſſet ad aulam)
Creditus eſt fidei, curæq. ac talia pactus
Ipſe fui, infandi puerum ni ad tecta reducam,
Arguar in Patrem ſceleris; dum vita manebit;
Ergo pro puero (comes hic cum fratribus ibit)
Servitio addictus veſtro ſub jure morabor.
Horreo adire patrem; nec funeris inde paterni
Teſtis ero infelix, nec pars triſtiſſima luctus.
Ut compreſſa cavis circum ſe volvit in antris
Hinc, illinc, quæritq. vias, qua ſurgat ad auras,
Flamma furens, raucoq. auditur ſerpere nixu.
Si qua tamen parvas per clauſtra trementia rimas
Forte aperit, muros, qua ſit data ſemita, rumpens
Illinc tota ruit, tum vaſta incendia miſcens,
Et montes, valleſq. procul ſtridoribus implet:
Non aliter Joſeph, longi, quem pectore claudit,
Et cohibet, flammas erumpere ſenſit amoris,
Impatienſq. alias juſſit ſpectantibus ædes
Quærere, ne adſtarent una cum fratribus, illos
Dum moneat qui ſit, diſcantq. agnoſcere fratrem.
Tunc ille infremuit, vehementem miſit, & altum
Protinus ore ſonum, lacrymas, ſuſpiria, voces
Edidit una, ac quem tacitum ſervarat amorem
Prodidit ex oculis, ac alta voce profatur:
Quam ſimul Ægypti proceres, ſimul audiit omnis,
Qui Regis ſolio aſſiſtit, Regiq. miniſtrat.
Ecce ego ſum Joſeph. Tam longo vulnere tactus
Vivit adhuc Genitor? verba hæc ceu fulmina fratrum
Cordibus, & ſubita gelidus formidine ſanguis

Diri-

Digitized by Google

Diriguit, cecidere animi, vox deficit ori,
Pallor in ore ſedet, nutant oculi, ægra timore
Membra tremunt, ventis quatiuntur ut arbore frondes,
Nec voces audent poſcenti reddere, at ille
Cui pietas, & fidus amor, cui nulla nocendi
Cura manet, lacrymans, ad noſtra accedite fratres
Ora, inquit, pavidos mentis compeſcite motus;
Cumq. propinquaſſent; veſter, quem cernitis, inquit,
Ipſe ego ſum Joſeph, frater ſum veſter, opimas
Ægypti venum quem vos miſiſtis ad oras,
Ne quæ animum turbent curæ, mœſtiq. timores,
Nec pigeat quod me pacta mercede dediſtis,
Nam prius iſta Deus me quam vos miſit ad arva,
Ut vos exitio eriperet, charumq. parentem;
Namq. famis binos poſt annos quinque ſuperſunt,
Queis nec falce meti, nec findi pondere aratri
Se tellus ſinet, & Deus hæc ad littora primum,
Ut vitam vobis ſervarem, eſcaſq. pararem,
Me ſupero patrem miſeratus ab æthere miſit.
Non opus hoc veſtrum, Domini fuit æqua voluntas,
Qui me ceu patrem dignatus reddere Regis,
Et veluti dominum, qui Regia tecta gubernet,
Ægyptiq. meis regionem ſubdere juſſit.
Sic fatus Joſeph, miti ſic voce monebat:
Fratres, ne alternæ mala ſemina ſuſcitet iræ,
Ac odiis fomenta daret, ſi crimina in illos
Verteret, ut quiſq. innocuum ſe oſtenderet illi,
Namq. alios alii poſſent culpare viciſſim.
Interea hæc hilaris vultu præcepit, & urget:
Feſtinate viam, ad patrios aſcendere montes,
Hæc mandata ſeni noſtro deferte parenti:
Filius ille tuus Joſeph Pharaonis in aula
Vivit, & Ægyptum regit omnem, interq. potentes
Extulit ille caput proceres, Regiſq. miniſtros,

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi,
Cui Deus Omnipotens hæc fecit munera ſolus;
Nec mora, nec ſpatium; deſcende ad littora Nili,
Mox venias, latis Geſſen habitabis in arvis
Securus; natiq. tui, natiq. tuorum.
Quæ numeras armenta feres, pecudeſq., boveſq.,
Ac ibi (quandoquidem famis anni quinq. ſuperſunt)
Te paſcet, tua ne pereat domus indiga victus.
Nunc vos, & Benjamin jam dum cognoſcitis æquo
Quam loquar hæc animo: genitori nuncia ferte
Rerum, quas nunc aſpicitis, quæ gloria Nili
Noſtra ſit in terris, properate, ac ducite patrem:
Interea ſuper ora ruens Benjamin, & arctis
Vinclis amplexus collum mille oſcula libat,
Mixta per ingenuas malas labentibus undis,
Ac ſimili puer amplexu reddebat amanti
Oſcula germano, ac flentem flens ille tenebat.
Omnibus inde aliis hæc veri lætus amoris
Fratribus eſt Joſeph largitus pignora, & omnes
Ingemuere pari miſcentes gaudia luctu,
Collegere animos fratres; ſic pectore mitem,
Ac ſic ore pium Joſeph agnoſcere verbis
Dum datur, ac illi tanta haud formidine fantur;
Nuncia fama tulit, vox eſt diffuſa per aulam
Veniſſe ex Chanaan ad regia limina fratres,
Gaudia teſtantur vultu; Rex inde profatur
Sic Joſeph: Da juſſa tuis hæc fratribus: eſcam
Ferte, parate iter, ac ſaccis onerate jumenta,
In Chanaan celeri terram ſecedite curſu,
Ducite in Ægyptum longæva ætate parentem,
Uxores, famulos, famulas, ac omnia ſecum
Ipſe ferat, cuncti noſtris ſuccedite terris,
Largiar Ægypti bona cuncta, agriq. medullas
Ad noſtras pueros una cum matribus oras

Ducturi

Ducturi, Ægyptus fabricat quæ plauſtra feretis.
Longo ſi qua forent incommoda calle viarum
Linquere ne pigeat; cuncta hæc nam terra miniſtrat.
Juſſibus intenti fratres data plauſtra parabant,
Atq. viris eſcas, & paſcua nota jumentis.
Longas cuiq. duas Joſeph dat munera veſtes:
Tercentum nitidos argenti pondere Siclos
At minimo exhibuit fratri, quinq. inde ſuperbas
Addidit huic tunicas, totidemq. ferenda parenti
Dona dedit, bis quinq. aſinos, queis addit aſellas
Æquales numero Ægypti è tellure ferentes
Eſcas, divitias, & ſaccos meſſe tumentes.
Hos ita dimiſit Joſeph, ac talia mandat:
Pellite corde iram, & pacem ſervate viciſſim.
Muneribus ſic aucta domos, urbemq. reliquit
Læta cohors, celeratq. vias, cui magna cupido
Hæc perferre ſenis genitoris nuncia ad aures.
Jamq. propinquabant, cum longius edere plauſus,
Plauſtra inde obſtrepere, & ſtridere invexa rotarum,
Ac jumentorum ſtrepitus, hominumq., canumq.
Accipit, innixus baculo Pater anxius ædis
Egreditur portis natos ſpeculatus ovantes;
Corpore ſe toto trepidans, & gutture anhelans,
Vires cui dat amor, venientibus obtulit illis,
Aſt oculi primum Benjamin ad ora feruntur,
Amplexuſq. dedit primos, prima oſcula figit
Incolumen gaudens reditu; majora ſuperſunt,
Chare Parens, addunt alii, Pharaonis in aula
Ægypti Præſes, Regni ſuper omnia Princeps
Filius ille tuus vivit, cui nomina Joſeph.
Evigilans veluti ſomno ſtupefactus ab alto
His Jacob dictis, tamen hæc haud credere certus
Reſtitit; illi autem: fidei num pignora teſtanis?
Plauſtra jumenta, boves, hæc omnia conſpice nati

Munera digna tui; mihi ſat, tunc inquit Jacob,
Natus adhuc vitæ ſi Joſeph veſcitur auris.
Vadam ego Niliacas ad ſedes ante ſub umbras
Quam laſſus vocer ad nigras, illumq. videbo.
Dixit, & Ægypti pingues deſcendere ad Urbes
Turba parat, ſequiturq. parens, ad limina venit
Ut putei, pia jurandi qui nomina ſervat,
Conſtitit, atq. rudes e ſaxis inſtruit aras,
Plurima grata Deo quas imbuit oſtia magno.
Cum ſol Oceano ſe tinxit, & abdita denſis
Omnia ſunt umbris, ſua laxat terra ſopori
Membra Senex, auditq. altam per ſomnia vocem
E cœlo, Jacob, iterumq., iterumq. vocantem;
Tunc ait, ecce adſum, magni cui Rector Olympi
Inquit, ne timeas, ego ſum tuus, atq. tuorum
Ille Deus Patrum, atq. Deus fortiſſimus Iſac;
Ingredere Ægyptum, nam magnum in gentibus olim
Te reddam, ac illuc comitem me tutus habebis,
Teq. revertentem nullo diſcrimine ducam;
Ipſe tibi Joſeph morienti lumina claudet.
Nocte ruente polo, primiſq. cadentibus aſtris,
Surrexit Jacob, & nati, ac turba nepotum
Aggrediuntur iter, coguntq. armenta citati
Cuſtodes, carpuntq. vias ex ordine primi;
Interea teneros matres ad plauſtra ferebant
Sollicitæ pueros, onerant famuliq. camelos,
Ac aſinos famulæ, tum patrem ætate cadentem
Natorum pia turba humeris, manibuſq. regendum
Subſtulit in currum, primaq. in ſede locavit.
Sic temere vias inſtructæ ex agmine turmæ.
Primus erat Ruben ſtipat quem parva migrantem
Natorum turba, in plauſtro quæ conſidet ipſo,
Henoch cum Phallu, atq. Heſdron, Carmiq. juventæ
Flore rubeſcentes primæ, cum prole ſecundus.
It Simeon, læta comitantur fronte parentem

Jamuel,

Jamuel, ac Jamin, atq. Ahod, Jachinq., Sohorq.
Ultimus eſt Saul a ſponſa Chananitide ductus;
Inde ſuis Levi cum tribus in agmine natis
Gerſon, & Chanath, & Merari proximus ibat.
Tres tantum Judas, Selamq., Pharemq., Zaramq.,
(Namq. Her in Chanaan, & Onan cecidere) ferebat,
At Phares genitor ſecum trahit Heſron, & Hamul.
Iſſachar in curru genitor cum ſtirpe ſedebat
Thola, Phua, Jobus, Simeron, qui fronte decori
Poſt zabulon, natiq., Sared, Elonq., Jahelel
Succedunt, omnes Liæ nati, atq. nepotes,
Nata cum Dina Syriæ dum caſtra tenebat,
Quæ tres ex ſtirpe, ac triginta computat ortos.
Pignoribus ſeptem lætus Gad venerat inde,
Quem Sephon, Haggi, & Suni, Eſebon, Heri, & Arodi
Areliq. puer circumſtant ordine longo.
Atq. hic Aſer erat quatuor qui pignora ducit
Currus poſt alios, Jamne, Jeſua, Jeſuiq.
Cum Beria, queis Sara ſoror ſtat proxima virgo,
Atq. orti è Beria pueri Heber, Melchiel adſtant.
Quam genitor dederat Liæ pro munere Laban,
E Zelpha Jacob animas bis noverat octo,
Sed binos tantum natos, reliquoſq. nepotes.
Ex Rachel bini naſcuntur ſanguine, Joſeph
Cui geminos dedit Aſeneth Ephraimq., Manaſſenq.
Et Benjamin, cui Bela, Bechorq., Asbelq., Geraq.
Et Naaman, & Echi, & Ros, & Mophim ordine nati
Atq. Ophim, atq. Ared., mox Dan cui filius Huſim.
Unicus eſt, ibat, ſequitur quem Nephtali, & orti
Jaſiel, illius Guni Jeſer ſanguine Sallem.
Quos Bala egregiæ forma, vultuq. Rachelis
Ancilla in puras eduxit luminis auras.
Ergo de Chanaan (natorum uxoribus illo
Secluſis numero) Jacob ex ſtirpe creati

Sex

Sex, & ſexaginta viri tellure profecti
Ægypti ſubiere plagas, his jungimus ipſum
Jacob cum Joſeph, Ephraim, pulchrumq. Manaſſen.
Septuaginta pari complent ex ordine turbam.
Interea Iſacides Regis præmittere ad aulam
Inſtituit Judam nato qui nuncia Joſeph
Deferat, in Geſſen ductum expectare parentem.
Corripit iſte viam, & patris mandata faceſſit.
Non ſic è nervo ſtridens emiſſa ſagitta
Pervolat, aut fulgur delapſum nubibus ardens,
Ut rapidus curſum. Joſeph aſcendit, & habenas
Laxat equis, trahiturq. avidus patris ora videndi,
Optatos donec Geſſen pervenit ad agros.
Vidit ut ille patrem curru deſcendit ab alto
Obvius it velox, dulceſq. amplectitur artus
Inde Senis, qui membra tremens ceu vulnere tactus
Solvitur in lacrymas, ſequiturq. hunc ille gementem;
Atq. amor, & pietas, lacrymæq., & læta voluptas
Impediere ſonum, & notæ modulamina linguæ.
Hæc inter pia vincla pater, genituſq. morantur
Alterna ex imo ſuſpiria corde trahentes:
Denique ut amborum ſe vox, animuſq. recepit
Inferias, clamat genitor, nunc lætus ad umbras
Deſcendam, namq. ante tuam, quam funere mergat,
Inſpexi faciem, & vives mihi nate ſuperſtes.
Conſtitit in medio fratrum tunc agmine Joſeph
Hæc fatus, Regis vadam Pharaonis ad aulam
Primus ego, patremq. meum cum fratribus omnes
Huc natos duxiſſe ſuos, armenta, gregeſq.
Et famulos referam, dein cum vos ipſe vocabit.
Paſtorum officium vos primis, dicite, ab annis
Egiſſe, & Patrum vitam, moreſq. ſecutos;
Ut vobis Geſſen conſiſtere detur in arvis,
Paſtores ovium Ægypti namq. incola temnit

Cum pecudes mactent, quas hic ſibi numina fecit.
Unde hæc in vulgus manarit opinio, diſces,
Jura per antiquos Nili ſi volveris annos.
Fœdere (*a*) qui Primi legum vinxere colonos.
Intenti noſtræ quæ commoda plurima vitæ
Præberent, ſervare pecus genus utile terris,
Ne quis mactaret, ſacriſve imponeret aris,
Decrerunt, Niliq. fuit lex lata per oras.
Hinc & vita boum ſervatur aratra trahentum,
Atq. ovium, lanis quarum indumenta parantur,
Et quæ lacte cibant, & equos, aſinoſq. necare
Haud fas auxilium laſſis, ponduſq. ferentes
At poſt divinos ſenſim, labentibus annis,
Relligio in ritus hunc morem cæca ſacravit,
Et quæ numinibus mactari armenta vetabant
(Auditu infandum!) fecerunt numina gentes.
Digreſſus tandem Joſeph ad limina Regis
Acceſſit, dixitq. ſuum cum ſtirpe parentem
Cumq. ovibus, pueriſq. ſuis conſiſtere terris
Geſſenis; inde ante thronum de fratribus offert
Extremos quinque; hos alii dixere nitentes
Corpore, ut expoſcit tanti præſentia Regis;
At membris alii infirmos duxiſſe putarunt
Hoc veritum, ne ſi fortes & robore firmos
Cerneret hos belli jubeat Rex ferre labores.
Quos ſic affatur Pharao? qui, dicite, mores:
Quid vobis operis? cui reſpondere parati:
Paſtorum officium eſt, ſequimurq. exempla parentum,
Qui pecudes inter ſunt orti, ac funera paſſi.
Venimus Chanaan, gregibus nam pabula noſtris
Herbarum deſiint; ſegetum penuria regnat,
Invaluitq. fames: petimus Rex optime in arvis
Ut Geſſen liceat nobis habitare, precantes
Solatur Pharao, ad Joſeph dum talia fatur.

Hæc

(a) *Prophy. lib.* 4.

Hæc venere tui cum patre ad littora fratres;
Ægypti (quæcumq. placet tibi) delige ſedem,
Atq. his Geſſenæ da pinguia jugera terræ;
Si qui. ſint iſtos inter curare periti
Armenta, hos pecudum ſtabulis tu præfice noſtris.
Geſſen terra fuit ſeptem converſa trioni
Atq. plagis Orientis, erat cui nomen ab undis
Arabiciq. ſinus extremas ſpectat ad oras.
Urbes cui primas inter fuit alta Rameſſes;
At non ex udis quia nubibus illa trahebat
Nomen, labantur pluviæ ſuper arva frequentes,
Cum raro Ægypti velent hos nubila tractus
Verum ita nocturni conſpergunt jugera rores,
Ut duplici penetrent arentes pollice ſulcos.
Ex pluviis ideo Geſſen cognomina cœpit,
Omnibus ex terris magis hæc namq. uda pruinis.
Joſeph inde patrem duxit Pharaonis ad ora,
Ingreſſuſq. Senex, & Regi fauſta precatus,
Conſtitit ante thronum, & Pharaonem pronus adorat.
Quem nati innixum dextræ, & venerabile vidit
Ut Princeps caput, illapſamq. ad pectora barbam
Perlongam, & canam, undantemq., ætatis honorem,
Mirans, quot vitæ numeras, expoſtulat, annos?
Centum & triginta ſunt anni ex quo hoſpes in iſto
Orbe vagor, Regi ſenior reſpondet Jacob.
Haud longum tempus, quod per diſcrimina multa
Per varios caſus, & magna pericula duxi.
Nec mea cum patrum ætate eſt æquanda meorum,
Sæcula qui longe numerarunt plurima vitæ;
Sic fatus, felixq. iterans Regi omen ab aula
Continuo exivit Jacob, natoſq. reviſit.
Interea Joſeph, ut Princeps juſſerat, arva
Optima deſignat genitori, ac fratribus alta
Surgit ubi (claudunt quam pinguia prata) Rameſſes.

Hic

Hic alimenta Patri, & cunctis dat ſanguine junctis,
Nam totum veſana fames invaſerat Orbem,
Sed magis Ægyptum late, Chanaanq. premebat.
Namq. anni ut ſubeunt, frugum quoq. creſcit egeſtas,
Niligeniſq. parent quo fruges, deficit aurum,
Nam tota a populis expenſa prioribus annis
Jam fuit, & gazis addicta pecunia Regis.
Conveniunt cuncti Joſeph, alimentaq. poſcunt,
Et, ne ipſos caſu extingui patiatur iniquo
Ante ſuos oculos, careant licet ære, precantur,
Queis Præſes; armenta, gregeſq. huc ducite veſtros,
Atq. ego ſufficiam lectas pro animantibus eſcas.
Mutua tunc populus præbens armenta, paravit
Frumentum unius curſu quo viveret anni.
(a) Præteriit tempus tamen hoc, & ſeptimus annus
Subſequitur, frugumq. venit penuria major.
Huc gentes rediere, novis clamoribus implent
Atria longa, ſonant per ſumma palatia fletus
Hinc ululant pueri, hinc matres, hinc mixta ſenectus
Virgineo inſpicitur cœtu, lacrymabile viſu!
Quæq. via obſtructa eſt miſeris, ac porticus omnis
Plena viris, vitæ auxilium, poſcentibus eſcam:
Omnibus unus erat ſermo, vox omnibus una.
Jam miſeranda fames ad Regis tranſtulit ædes
Divitias omnes, oviumq., boumq. catervas,
Corpora nunc tantum nobis, atq. arva ſuperſunt.
At Tu nos macie abſumptos occumbere letho
Aſpicies, lætam dum claudunt horrea meſſem?
Non ita: nos atq. arva tuo ſub jure manebunt;
Deſperata ſalus extrema pericula poſcit.
Tu nos captivos eme Regi, ac ſemina præbe,
Ne ſteriles fiant vacui cultoribus agri.
Quos prius hæc Præſes reddit ſolatus: agrorum
Cedite vos fundum, vobis perſolvimus aurum;

Z Hoc

(a) *Aug. quæſt. 160. in Geneſim.*

Hoc fruges emite, & rebus ſervate ſecundis
Et vos, & Regnum; aſſenſere, & jugera cedunt;
Sic pius Ægypti primis a finibus omnem
Emit ad extremos terram, Regiq. dicavit,
Et ſeptemgeminus quos Nilus circuit undis,
Ut ſervos illi populos ſubiecit Joſeph;
Nulla Sacerdotes tantum, queis publica victum
Horrea præbebant, vendunt pro frugibus arva;
Voce Sacerdotum variorum includitur ordo,
Et qui mirandis induſtres artibus eſſent,
Inferrentve novas, & quos ſapientia claros
Redderet, Hiſtoricos, Phyſicos, Medicoſq. celebres,
Qui ſolis, lunæq. vias, & ſidera ſervant,
Atq. æquos Legum auctores, ac ſacra tuentes
Jura Magiſtratus, & doctos omine Vates.
Mox ait hæc Joſeph: jam vos, & jugera veſtra
Rex habet, ite omnes, & ſemina ſpargite campis;
Frugibus ex horum quatuor ſeponite vobis
Menſuras, Regi menſuram reddite quintam.
Illi autem: Tu noſtra ſalus, tantum aſpice vultu
Nos placido, & læti Regis mandata feremus.
Hinc fuit in longos ſæclorum condita curſus
Lex frugum a cunctis Regi ut pars quinta daretur.
Arva Sacerdotum tamen haud lex iſta tenebat.
Interea Geſſen habitans tentoria Jacob
Dives agris, dives famulis, gregibuſq. bidentum
Hic placidus denis, & ſeptem vixerat annis,
(Nam ter dena, annos tres demite, luſtra peregit)
Proximus hic morti Joſeph accerſit, & illum
Talibus affatur: jam non mihi longior inſtat
Summa dies, te ſi pietas habet ulla Parentis
Nate tui, huc accede, manus appone, meumq.
Tange femur, teſtemq. Deum de more vocabis,
Ne noſtrum mandes his oro corpus arenis.

At

At procul Ægypti ſublatum e limite ad arva
Noſtra feres, notoq. patrum me conde ſepulchro.
Annuit his Joſeph; jura Pater addit, at ille
Protinus obſequitur Patri, & mandata faceſſit.
Ad caput interea lecti ſe vertit Jacob,
Cœlicolumq., hominumq. Patrem devotus adorat.
Dein cum ſe Joſeph in Regia tecta recepit,
Incipit extremo Jacob decumbere morbo.
Continuo ad Joſeph hæc mittunt nuncia fratres.
Hic redit in Geſſen natis comitantibus illum
Manaſſe, ac Ephraim, quos ut ſuccedere lecto
Accepit, morbi curas lenivit amaras,
Firmavitq. animum Jacob, ſtratoq. reſedit.
Atq. hæc, ut natum cernit, parvoſq. nepotes,
Ore dedit: Deus apparens mihi in Urbe moranti
Luza (quæ Chanaan Urbs eſt), benedixit, & inquit
Hæc mihi: multiplici te reddam ſemine magnum
Ingentis dominum populi, rerumq. potentem,
Atq. tibi, ſtirpiq. tuæ per ſæcula terram
Hanc æterna dabo. Ergo duos de ſanguine natos
Hos tibi in Ægypto prius his quam ſiſtere in arvis
Conceſſum nobis fuerit, tibi deme, meoſq.
Hos dicam, ac veluti Simeon, Rubenq. putabo.
Manaſſen, Ephraimq. ſedes quos poſtea natos.
Sume tibi, fratrumq. habeant de more ſuorum
Partes, juſq. ſuum, necnon & nomina ſervent;
Dum Meſopotamiæ quondam è tellure redirem
Tempus erat vernum: properanti attingere Ephratam
In Chanaan terra mihi mors inopina Rachelem
Abſtulit, ipſe illis mandavi corpora terris,
Juxta urbis callem, cui nunc ſunt nomina Bethlem;
Inde Senex addit: qui ſunt quos cingere lectum
Aſpicio? Joſeph cui talia reddit ab alvo
Conjugis orta meæ ſunt hæc duo pignora, nobis

Quæ Deus Omnipotens Nili conceſſit in oris;
Tunc Jacob pueros da noſtra accedere ad ora,
Quos benedicam, oculi nigra caligine fuſi
Nam Senis haud poterant aciem defigere claram:
Hos ut complexus, libans mille oſcula, dixit:
Aſpectu ecce tuo non ſum fraudatus, & altus
Rex Cœli mihi nate tuam dat cernere prolem.
Interea accedens Joſeph, amboſq. Parentis
Ex ulnis retrhaens in terra pronus adorat,
Majoremq. ægri dextro, lævoq. minorem
Compoſuit lateri Jacob, aſt ille plicatis
In crucis exemplar manibus, dextram extulit annis
In minimi caput Ephraimi, lævamq. Manaſſis
In frontem, & parvos benedicens ore nepotes
Hæc fatur: Deus ille meis, qui Patribus uſq.
Adfuit, & cujus mandatis paruit Abram,
Atq. Iſaac, Deus a primo qui flore juventæ
Me paſcit miſerans, Cœloq. tuetur ab alto,
Angelus ille malis qui me pius undiq. merſum
Eruit, æternos iſtis benedicat in annos,
Jamq. meo hi geniti dicantur ſemine, & Abram
Progenies, natiq. mei Genitoris Iſaci,
Atq. horum innumeræ ſurgant de ſanguine gentes.
Ut Patrem Joſeph dextram impoſuiſſe minoris
Advertit capiti, dolet, atq. avertere ab illo
Nititur abreptam, inq. caput transferre Manaſſis.
Atq. ait ille minor, ſuper hunc Pater optime dextram
Imponas, renuit Jacob, & talia reddit:
Non hoc nate latet me, ſat mihi notus uterq.
Eſt puer, ex hujus naſcentur ſanguine multi;
At minor hic frater (cui plurima turba nepotum)
Illo major erit, cumq. his benedixerit inquit
Iſrael ſoboles in te benedicta per omne
Tempus erit, læto qui fauſta precabitur ore

Non

Non ſecus ac Ephraim, dicet, fortiq. Manaſſi,
Sit tibi propitius totum qui temperat Orbem.
Conſtituitq. Ephraim vates Pater ante Manaſſem.
Inde Senex rurſus Joſeph hac voce monebat:
En morior, vobis aderit Deus; atq. parenti
Abramo quondam promiſſa reducet ad arva.
Interea a nobis una donatus abito
Parte, alios præter fratres, quam victor in armis,
De manu Amorrhei gladioq., arcuq. recepi.
Dein natos omnes ad mœſta cubilia Jacob
Accerſit, mortiq Senex hæc proximus addit:
Huc omnes Jacob nati concurrite, ut ipſe
Quæ veſtræ evenient extremo tempore proli
Prædicam, huc omnes Jacob concurrite nati,
Jacob audite Iſrael hæc audite Parentis,
Tunc ſic orditur: Mea tu qui primus in ortu
Fortitudo Ruben (namq. hic dum fortior ætas
Et ſolidæ in firmo vires ſunt corpore natus)
Principium tamen & magni mihi cauſa doloris,
In donis tu nate feres, & in ordine primus
Major in imperio, ſed fœda labe notatus
Sicut aqua effuſum (ne creſcas) namq. cubile
Non puduit maculare meum, & violare novercam.
Hæc Genitor Ruben tria qui ſibi debita dona
(Nam cunctis prior) infelix amiſit, honores
Ortus primævi, Regnum, curamq. ſacrorum.
Nam Regnum in Judæ natos, & cura ſacrorum
Tranfertur Levi in ſobolem, ſic dira Parentis
Vertitur in miſeros primævi culpa nepotes.
Inde Senex Simeon, Leviq. uno ordine fratres
Impia vaſa fero bellantia pectore, dixit;
Horum conſiliis nunquam mens noſtra quieſcat,
Nec ſit in ipſorum pravo mea gloria cœtu,
Namq. virum ſævo tumidi occidere furore,

Fre-

Fregeruntq. fidem, immitiq. libidine ducti
Mænia vaſtarunt; ſemper maledictus eorum
Indomitus furor, ac dura indignatio ſemper;
Dividere in Jacob, diſpergere in Iſrael ipſos.
Cogor ego: His cædem Sichimorum oſtendit Jacob,
Et quæ paſſuri tanto pro crimine nati,
Nam cum promiſſæ regionis tradita cunctis
Pars fuerit, tantum Levi, ac Simeonis avitæ
Gentes haud proprias Urbes habuere, ſed omnes
Undiq. per fratrum vixerunt oppida fuſæ.
Angulus in Judæ terra Simeonis egenis
Parvus erat natis, ac ut tendantur ad oras
Extremas duro miſcentes prælia ferro.
Obtinuere Sehir montes, deſertaq. Gadar,
Quorum ſtirpe ſati longo poſt tempore Scribæ
Incoluere Urbes, quas fratrum habuere nepotes.
Nec Levi ſoboles illis felicior orti
Inde Sacerdotes non una in ſede morantur,
At paucas tenuere Urbes, arctaſq. locorum
Finibus, aut vitam fratrum cum prole trahebant.
Poſt tali aggreditur Judam ſermone Jacobus;
Te fratres, o Nate, tui ſuper æthera tollent
Laudibus, & tua fulmineo premat enſe ſuperbas
Dextra inimicorum cervices, ſeq. trementes
Curvabunt duplici genitoris poplite nati
Vultus ante tuos; catulus tu, nate leonis,
Qui ſolet ad magnas rugiens aſcendere prædas,
Ut Leo decumbes, velutiq. leæna quieſces.
Audax è ſomno quis erit qui ſuſcitet illum?
Imperium Judæ nati, ſceptrumq. tenebunt,
Nec deerit fortis Judæ de ſanguine ductor,
Donec qui ſuperis eſt demittendus ab oris
Gentium in has veniat tandem expectatio terras.
Ille ſuum ingenuus pullum ad vineta ligabit

O nate

O nate, ad viteſq. ſuas innectet aſellam;
Ille ſtolam in vino, ac uvarum in ſanguine terget
Indumenta rubro, ille omnes pulcherimus inter
Eſt oculo, vini pulchrum ſuperante colorem,
Lacteq. candidior dens illius enitet ore.
Quanta Senex iſtis condit myſteria verbis!
Nam Leo Divini eſt ſoboles Divina Parentis,
Quæ ſummo in noſtras demiſſa ex æthere ſedes
Deſcendit, Stygio prædam ereptura draconi,
Et victrix egit ſcelerato ex hoſte triumphum;
Hic eſt, qui veluti ad vitem defixus in ulnis
Arboris, indumenta ſuæ pulcherrima Carnis,
Effuſo (heu pietas!) moriturus ſanguine tinxit,
Infandumq. ſcelus crudeli morte piavit.
Interea Zabulon lacrymans ante ora jacentis
Ægra ſenis quondam eventura nepotibus audit.
Tu maris, o Zabulon, teneas in littore ſedem
Navigiis uſus, remis, tranſtriſq. Sydonem;
Hinc Zabulon generi Moyſes dedit ardua terræ
Jugera, quæ ſpectant qua ſol ſe mergit in undas
Ad Mediterraneum, ac primo qua ſurgit ab ortu
Proſpiciunt Tiberiadis mare gurgite vaſtum.
Poſthabito Iſachare, qui major in ordine natu,
Cur genitor Zabulon benedixerit ante minorem
Cauſa latet; poſt hæc Jacob effudit ab ore:
Iſſachar eſt Aſinus fortis, metam accubat inter
Ille ſuam, & requies, & pax, ac optima tardo
Arva placent, humeroſq. ſuos ſub pondere flectit.
Parere aſſuetus Domino, & ſervire tributis;
Illius agreſtis ſoboles, patienſq. laborum
Maluit in Patriis tranquillam ducere campis
Vitam, ac ſervitium perferre, & ſolvere Regi
Vectigal, quam caſtra ſequi, & fera munera belli;
Accipit a tremulo Dan poſt hæc ore parentis;

Dan populo præſit veluti Tribus Iſrael omnis
Judicet, inq. via coluber, ſævuſq. Ceraſtes,
Quo latitante putris mordebitur ungula equorum,
Ut retro cadat aſcenſor, qui fervidus ibat,
Fiat. Tum genitor ſuſpirans protinus addit
Expectabo tuam, Domine, hac de gente ſalutem.
Noverat hac ſenior clara de ſtirpe futuros
Qui populum imperio regerent, hoſteſq. ſuperbos
A Patria arcerent terra, premerentq. nepotes.
Nec cæco natum augurio vocat ille Ceraſtem,
Qui ſquammis rutilans inſtar pallentis arenæ
Hanc ſubter condens ſe armatus cornibus, illinc
Emergit tantum, volucres queis allicit afer,
Ac avido circum volitantes devorat ore;
Namq. Antichriſtum Danis de ſanguine (Patres
Tradunt) naſcetur, ficta qui ſubdolus arte
Alliciens animos hominum ſub tartara merget.
Ad Gad intendens ſtantem poſt lumina Jacob
Hic accinctus ait committet prælia, retro
Ipſe accingetur (turmæ Gad voce notantur)
Unde acie huic acies proſternet bella parantes.
Jam Gaditarum celebratur bellica virtus
Cum fera, tranſmiſſo Jordanis flumine, ad arma
Venere adverſus Chanaan finitima regna.
Jam benedicendus lecto ſuſpiria mittens
Proximus Afer erat, Pater ad quem talia fatur:
Accipe quæ moriens dat Jacob omina nate.
Pinguis panis eris, tum dulcem Regibus eſcam,
Deliciaſq. dabis; Nec mens ignara futuri
Eſt Vatis: Namq. arva Afer, quæ limite longo
Saxa Paleſtinæ circum montana jacebant,
Obtinuit populus felicia meſſibus arva,
Quæq. oleum reddunt, quo non eſt gratius ullum,
Et varias fruges, & quæ thymiamata Regum,

In

In domibus fumant, ſacriſq. cremantur in aris.
Dum cernit Jacob decimum ante cubilia natum:
Sic ait: eſt nobis emiſſus Nephtali Cervus,
Eloquiumq. dabit reſerans ſua guttura pulchrum.
Cervus amans pacis; nam Nephtali turba nepotum
Metis clauſa ſuis raro fera bella parabat,
Cumq; illos hoſtis vicinus ad arma vocaret,
Ut celeres cervi congreſſi in prælia turmas
Sternunt hoſtiles, aut dantes terga ſequntur.
Inde Deo meritas grates & carmina reddunt.
Mox æger vertens ad Joſeph lumina vates
Filius accreſcens, accreſcens filius, inquit,
Eſt Ioſeph pulcher vultu, aſpectuq. decorus,
Virgineiq. ſuper murum cupidi illius ora
Cernere diſcurrent cœtus; & lumina paſcent.
At (ſcelus infandum!) qui noxia ſpicula geſtant
Invidiæ ſtimulis acti, rabidoq. furore
Illum aſperarunt inſana in jurgia linguam
Solventes, dextra in valida ſtetit illius arcus,
Perq. manum Jacob, pectus cui forte potentis
Illius a duris ſolvuntur brachia vinclis,
Inde eſt egreſſus Paſtor, lapis Iſrael inde.
Ipſe tui Joſeph ſummo tibi Patris ab axe
Dexter erit Deus, & ſuperi benedictio Cœli
In te fundatur, ſubterq. jacentis abyſſi,
Deſcendetq. alvos ſuper, & ſuper ubera Matrum.
Jamq. tui vincit Patris benedictio nate,
Quæ Patres ipſi fauſto ſunt ore precati,
Donec quem Cœli demitti ex vertice colles
Æterni cupiunt, noſtris ſuccederet oris!
Cuncta ſuos inter fratres (precor) omina noſtri
In capite hæc fiant Joſeph; in vertice fiant
Cuncta Nazaræi: ſermonem his expedit Augur.
Creſcens arbor erat Joſeph virtutis ad undas,

Cujus Niliacas diffuſa eſt fama per Urbes;
Ipſe potens tribubus binis Ephraim, atq. Manaſſis,
Ex quibus egregij virtute, armiſq. nepotes
Exorti, fratres longe ſupereminet omnes;
Ipſe gravi vultu, membriſq., oculiſq. venuſtus
Virgineos cœtus (quibus ex penetralibus ire
Tunc mos nullus erat) faſtigia ad alta trahebat,
Ut juvenis vultu è ſpeculis fruerentur euntis.
Ipſum lethiferis fratres petiere ſagittis
Linguarum, pueri dum myſtica ſomnia carpunt
Jurgia miſcentes: at Joſeph fretus amico
Numinis auxilio miſit de corde timorem,
Eluſitq. minas, jaculataq. tela rejecit,
Ægyptumq. cavi nigra de carceris umbra
Eductus, Cultos moderatur, at Iſrael alta
Fundamenta locat veluti non mobile ſaxum;
Cui Jacob pluviam, & Soles, roremq., nivemq.,
Vernantes terras, ac pingues ubere glebæ,
Innumeros natos, armentaq. multa precatur,
Optatum donec demittant Sydera Regem.
Cumq. Nazaræi Jacob dat nomina Nato
(Illa coronatum vox, diviſumq. ſonabat)
Sat docet avulſum eſatrijs à ſedibus, arva
Ad Nili ductum, hunc virtus ubi nota coronat.
Accipit hæc tandem patris Benjamin ab ore:
Ille rapax Lupus eſt, prædam qui mane vorabit,
Veſperis extremis ſpolium ſed dividet horis.
Sunt qui de Saulo hæc vatem dixere loquutum,
Nam Saulus Benjamin ortum de ſtirpe trahebat,
Aſt alii tradunt vatem prædicere Templi
Velle Sacerdotes (nam gens Beniamitica terram
Jeruſalem obtinuit) qui dona oblata ſolebant
Inter ſe primæ partiri tempore noctis;
Sic ſua bis ſenis Genitor dedit omina natis,

Mox

Mox jubet hæc: omnes intenti juſſibus adſtant.
En morior, populoq. meo conjungor, avitis
Cum patribus ſepelite meis me duplici in antro,
Quod contra Mambre Hæthæi jacet Ephron in agro
In terra Chanaan; Hæthæo hoc emit ab Ephron
Cum campo, ut tumulum natiſq., ſibiq. pararet
Abram, hic ille jacet cum Sara conjuge, & illa
Conditus in terra eſt Iſac, Uxorq. Rebecca
Cum Lia. Impoſuit monitis hoc ordine finem,
Collegitq. pedes vates, animamq. ſuavem
(Hunc veluti ſomnus raperet, mitiſſimus) efflat.
Pallida tunc Joſeph totus ſuper ora parentis
Irruit, ac gelidæ libat mille oſcula fronti,
Hoc fratres alij, cunctæq. ex ordine Matres
Hoc faciunt, parvos pendentes ubere natos
Amplexæ, quos nomen Avi reſonare docebant;
Præteriere dies, poſt omnis flevit inunctum;
Atq. omnes largo perfuſi lumina fletu
Inſignem pietate virum, fideiq. tenacem,
Magnanimumq. animum celebrant, atq. inclita facta.
Præſes, ut his juvit primos explere dolores,
Extincti varijs condiri membra Parentis
Juſſit aromatibus, medicos accerſit, at iſti
Continuo accurrunt, & prompti juſſa faceſſunt.
Quadraginta, putri dum tergunt mortua tabe
Membra, oleoq. lavant nardi, myrrhæq. liquore
Septuaginta dies Ægyptia turba cadaver.
Expleto tandem tam longi tempore luctus,
Cum Regis ſolio nulli ſe ſiſtere veſte
Lugubri liceat, mittit qui talia Regi
Dicta ferant Joſeph: ſupremis proximus horis
Me pius accerſens Pater hæc eſt ore loquutus:
En morior Nate, unum oro, mea membra ſepulchro
Conde meo, in Chanaan fodi quod providus agro.
Hoc ego polliceor Patri inviolabile Numen

 Te-

Teſtatus, veſtris igitur, quo juſſa Parentis
Perficiam, ſolvamq. fidem, digreſſus ab oris
Arva petam Chanaan, poſt hæc ad tecta revertar.
Annuit his Pharao: & Joſeph iter arripit, illi
Omnes Ægypti Proceres, aulæq. Miniſtri
Se jungunt ſocios, majoreſq. ordine natu,
Et Joſeph fratres, firmaq. ætate nepotes,
Uxoreſq. ſimul fratrum comitantur euntem:
In Geſſen tantum pueroſq., gregeſq. relinquunt.
Hinc currus, equiteſq. vias longo agmine complent.
Imponunt famulis ſtipatam milite multo
Arcam, qua Jacob exanguia membra teguntur,
Quam circum mœſtus ſiſtri, diſcorſq. tubarum
Auditur clangor, mox atra in veſte potentes
Incedunt aulæ proceres, quos cana ſenectus
Conſequitur, nigroq. ſedet mœſtiſſima curru
Agmine fœminei cœtus clauduntur equorum,
Quos premit auratis miles fortiſſimus armis,
Raucoq. auditur longus cum murmure fletus.
Pone pius, vultu gravis, aſpectuq. decorus,
Omnes quem circum mœſti ſtant ordine fratres;
Joſeph innumeris ſeptus cuſtodibus ibat.
In curru, cui nigra Chlamys diſtincta coruſcis
Floribus argenti, ac multis variata lapillis
Alta premit frontem (color è ferrugine) caſſis
Tegmine contexta obſcuro pendente per armos,
Atq. ita compoſito procedens agmine ad Arad
(Area frumentis illic jacet apta terendis)
Pervenit mediam Jordanem, ac Perichon inter
Fluminis ad ripas, qua ſol ſe mergit in undas.
Atq. hic (namq. diu in Chanaan conſiſtere terris
Ægypti refugit Præſes, ne forte timorem
Incutiant populo, & rixarum ſurgat origo)
Deponunt arcam, & ſublato tegmine corpus
Reſpexere Senis, vehemenſq. ad Sydera clamor

Tolli,

Tollitur, inſtaurant luctum, renovantq. dolorem,
Atq. omnes magno perſolvunt juſta Parenti,
Nec ceſſant, donec rutilam ſol terq., quaterq.
Extulerit placidi frontem Jordanis ab undis,
Quod ſimul ac Chanaan mirans videt incola dixit;
Ingentes fundit lacrymas Ægyptia turba,
Areaq. Ægypti ſignatur nomine fletus.
Sic Jacob nati Patris mandata faceſſunt,
Extinctiq. ferunt Chananeas corpus ad oras,
Atq. antro in duplici condunt, quod vendidit Ephron.
Poſt hæc ad proprias Joſeph cum fratribus ædes,
Ac ſocii remeant omnes, genitore ſepulto.
At fratres ſævi, quos anxia cura remordet
Criminis in Joſeph, charum ut videre Parentem
Sublatum è vita, perculſi corda pavore
Hæc inter ſe ſe trepido ſunt ore loquuti.
Ne ſceleris noſtri Joſeph, cui tanta poteſtas,
Forte memor dignas poſcat cum ſanguine pœnas.
Ergo hæc ſolliciti ad fratrem, qui nuncia portet
Miſerunt (fama eſt Benjamin mandata tuliſſe)
Extremum tuus ante diem tibi talia reddi
Verba Pater juſſit: ſcelus obſecro nate tuorum
Ne memores fratrum, veniam quoque criminis omnes
Oramus, famuliſq. Dei tu parce Parentis.
Audit ut hæc Joſeph in fletum lumina ſolvit.
Ipſius interea accedunt ad limina fratres,
Atq. illum proni curvato poplite adorant.
Hæc fati: ecce tui, bonus, o nos aſpice, ſervi.
Ille autem verbis ipſos compellat amicis:
Ponite corde metum: Quis certæ obſiſtere menti
Ætherei Regis valeat, quis vertere leges?
Vos olim inſidias miſero, exitiumq. paraſtis;
At Pater Omnipotens veſtris eſt artibus uſus,
Ut me olim, veluti vobis nunc cernere fas eſt,
Immeritum tanto clemens augeret honore,

Ac

Ac multas duro eriperet diſcrimine gentes;
Ponite corde metum, vobis, ſoboliq. parabo
Ipſe cibos, fratres miti ſic voce paventes
Solatur, cunctaq. ſui cum prole Parentis,
Et fratrum natis Ægypti habitavit in oris,
Prognatoſq. Ephraim, donec generatio longo
Tertia completur ſpatio, ſua gaudia, vidit.;
At quos progenuit Machir de ſtirpe Manaſſis,
Ceu proprio cretos excepit ſanguine Joſeph.
Tum ſic alloquitur fratres: cum lumina noſtra
Preſſerit alta quies, vos experietur Olympi
Rex, atq. Ægypti ex oris deducet ad arva
Abramo, Iſaco, & Jacob promiſſa Parenti;
At vos (per Numen precor inviolabile) noſtrum
(Hoc jurant fratres) vobiſcum hinc ferte cadaver.
Hoc ait, & miſeræ complevit tempora vitæ
Bis dena enumerans Joſephus luſtra, duoq.,
Illum omnis late tellus Ægyptia flevit;
Flerunt Iſacidæ, at gelidum conditur odoris
Corpus aromatibus, cedriq. includitur urna,
Ægyptiq. ſolo tegitur, dum ſæcula portent
Longa diem ad Patrias, quo terras oſſa ferantur.
Hæc ego, quæ ſupero perfuſus lumine mentem
Tradidit Amrami genitus de ſanguine vates;
Dum Mundi, Hebrææq. refert primordia gentis,
Te duce Diva Parens inculto claudere verſu
Auſus, & ignotum pelagum tentare carina.
Tu modo da ſacris arcana latentia chartis,
Noſcere; da pueris (quorum mihi charior omni
Laude fuit ratio) Iſacidum præclara Parentum
Facta ſequi, puramq. a crimine ducere vitam,
Ut tecum optata liceat conſiſtere meta.

FINIS.

ERRATA		CORRIGE
Pag.	Verus	
11.	32. Taurus . Pronte	Tauris , fronte
13.	14. Sallat	fallat
15.	23. roras	roſas
21.	Not. Synullus	Syncellus
23.	4. fimulata	ſimulata
ibid.	11. infidiis	inſidiis
32.	20. Vis occulta mali pars Altera femoris ægraeſt	vis occulta mali femoris pars altera & ægra eſt
35.	4. recurſant	recurſat
40.	10. tactis	tacti
41.	21. femore	ſemine
43.	4. fraude	fraudes
ibid.	33. ydera	ſydera
51.	2. linguemq.	linquamq.
ibid.	3. Sonas, oculeſq.	Sonos, oculoſq.
ibid.	33. Innocuis	Innocuos
53.	6. Chanaancorum	Chananeorum
ibid.	13. gemnis	gemmis
55.	12. nex	ex
70.	32. In porta rumor exoritur	In portis oritur rumor
73.	2. falis	ſalis
92.	33. Interca	Interea
93.	28. ſunt	Tunc
96.	3. guſtavitq.	Guſtaviq.
116.	11. almi	alme
118.	8. Iterumq. cervicem	Cervicemq. iterum
ibid.	34. ixiſſet	fixiſſet
126.	4. rerris	tertis
158.	5. fecundus	ſecundus
168.	20. Montes, e	Et montes
ibid.	11. terra	tarda
175.	30. Venimus Chanaan	Venimus in Chanaan

NO-

NOTANTUR
INITIA OMNIUM
CAPITULORUM
LIBRI
GENESIS
QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

CAP.	PAG.	VER.
Cap.1.	4.	18.
Cap.2.	17.	26.
Cap.3.	23.	10.
Cap.4.	32.	25.
Cap.5.	41.	18.
Cap.6.	43.	34.
Cap.7.	45.	30.
Cap.8.	48.	27.
Cap.9.	50.	6.
Cap.10.	52.	8.
Cap.11.	55.	1.
Cap.12.	58.	2.
Cap.13.	60.	13.
Cap.14.	61.	6.
Cap.15.	63.	19.
Cap.16.	65.	24.
Cap.17.	67.	19.
Cap.18.	68.	20.
Cap.19.	70.	14.
Cap.20.	74.	10.
Cap.21.	75.	24.
Cap.22.	78.	19.
Cap.23.	82.	8.
Cap.24.	83.	18.
Cap.25.	85.	22.
Cap.26.	88.	8.
Cap.27.	92.	33.
Cap.28.	97.	21.
Cap.29.	100.	11.
Cap.30.	102.	32.
Cap.31.	108.	5.
Cap.32.	115.	19.
Cap.33.	119.	8.
Cap.34.	121.	7.
Cap.35.	126.	22.
Cap.36.	130.	25.
Cap.37.	124.	21.
Cap.38.	141.	3.
Cap.39.	143.	28.
Cap.40.	147.	4.
Cap.41.	149.	12.
Cap.42.	155.	1.
Cap.43.	159.	3.
Cap.44.	164.	6.
Cap.45.	168.	22.
Cap.46.	172.	6.
Cap.47.	175.	16.
Cap.48.	179.	9.
Cap.49.	181.	9.
Cap.50.	187.	12.

MG 2426

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google